Claude Frassen - ***Philosophia academica R. P. Claudii Frassen, Ord. Min. Regular. Observant. Lect. Jubilati et Facultatis Parisiensis Doctoris. In Quatuor Tomos Distributa,*** **Venetiis, Apud Nicolaum Pezzana, 1767**

Tom. I, *Logicam et Metaphysicam complectens*, disp. I, *De Ente secundum se*, sect. III, *De Principiis Entis,* quaestio III, *Quodnam sit primum omnium Principium*, p. 309a-311b.

QUÆSTIO III.
Quodnam sit primum omnium Principium.

Notandum I. Principium dici primum duobus modis, simpliciter nempe, et secundum quid. *Principium simpliciter primum* illud est, quod nullum habet prius, quo possit demonstrari, et in quod cetera quæcunque resolvuntur, ut ab ipso plenam certitudinem et evidentiam accipiant. *Principium* vero *secundum quid* illud est, quod in aliqua scientia primum est, sed demonstrari potest per principia alterius scientiæ; tale est istud Medicinæ principium, *contraria contrariis curantur*, quod a Medico verum supponitur, sed a Physico demonstratur. Principium, quod est primum in genere demonstrationis ostensivæ, censetur tantum primum secundum quid, quia per principia ad impossibile reducentia demonstrantur.
Notandum 2. Ad rationem Principii omnium primi quatuor conditiones vulgo requiri. *Prima*, ut sit universalissimum, et constet terminis communissimis. *Secunda,* ut sit evidentissimum, ita ut perceptis ipsius terminis a nemine negari possit. *Tertia,* ut per aliud probari et explicari non valeat. *Quarta,* ut per ipsum cetera omnia demonstrarentur et explicentur. Istæ omnes conditiones forte nulli propositioni a nobis excogitabili perfecte et simul convenire possunt: illa tamen quæ plures habebit, primum nostrum principium reputabitur: sicut, verbi gratia, si esset aliquis Orator ita perfectus, ut perfectior humanitus non videretur possibilis sane diceretur primus Orator, quamvis forsan ipsi deesset aliqua e conditionibus, quas Cicero in Oratore perfecto requirit: quia cum ideam Oratoris perfecti Tullius, sapientis Zeno, præstantissimæ Reipublicæ Plato efformarunt, non tam respexerunt ad id, quod humanitus fieri non poterat, quam ad id, quod in se perfectius poterat excogitari.
Notand. 3. varias esse in assignando primo Principio sententias: aliqui volunt primum principium esse istud, *ens est ens*: sed tantum abest ut primi principii rationem habere possit; quinimo est propositio identica et nugatoria, cujusmodi de subjectis quibuscunque infinitæ formari possunt, idem de eodem enunciando, ut *substantia est substantia, Petrus est Petrus.* Alii afferunt propositionem istam, *ens est id quod est*: verum licet hæc propositio sit forte primum principium in genere ostensivo, non tamen in genere demonstrationis per impossibile, quia conclusiones, quæ ex illa inferuntur, ulterius demonstrari possunt per reductionem ad incommodum: adde, quod illa non universaliter satis inservit ad alias probandas et explicandas. Alii inducunt istam, *ens est unum, verum, bonum*; verum multo minus quam præcedens rationem primi principii sibi vindicat, tum propter allatas rationes, tum quia aliquatenus probari et explicari potest per definitionem entis qualiscunque sit. Alii istud statuunt primum principium *Deus est*: sed est propositio particularis, et ex qua aliæ multæ deduci nequeunt. Alii hoc adducunt axioma, *quidquid est, quandiu est, necesse est esse*. Verum probari potest per illud *impossibile est idem simul esse et non esse*; ideo enim quidquid est, quandiu est, necesse est esse, quia impossibile | est ipsum simul esse et non esse. A quibusdam referuntur propositiones istæ Logicæ, *de nullo simul vera est affirmatio et negatio; de quodlibet vera est affirmatio vel negatio*: sed nec terminis universalioribus constant; nec sunt indemonstrabiles. Prima enim probatur, per *impossibile est idem simul esse et non esse*; secunda, per *necesse est quodlibet esse vel non esse*. Tria igitur principia supersunt nobis, de quibus potest controversia esse, 1. est Aristotelis. 2. Aliquorum Modernorum. 3. Cartesii.
Aristoteli igitur primum Principium fuit; *impossibile est idem simul esse et non esse*; alii autem Recentiores pro primo Principio statuunt, *necesse est quodlibet esse vel non esse*; quod utique cum præcedenti non coincidit; nam si attentius hæ duæ propositiones examinentur, compertum erit primam significare, quod nihil potest de duobus extremis istius contradictionis participare, id est nihil simul esse posse ens et non ens: secundam vero significare, quod nihil esse potest, quin cadat sub alterutro istorum extremorum, id est, quod non sit ens vel non ens; primum igitur Principium medium omne per participationem, secundum vero medium per negationem extremorum excludit, quæ sane longe diversa sunt.
Cartesius rejectis prædictis et aliis principiis, novum sibi summo labore comparavit, maximoque apparatu constituit. Scilicet, *Ego cogito, ergo sum*; quo invento principio se supra punctum immobile Archimedis positum esse jactitat, ex quo totum orbem movere, et universam rerum naturam mutare possit. At quam inane sit hoc ipsius commentum, demonstrabit.

CONCLUSIO I.

Ista propositio: Ego cogito, ergo sum, *primum cognitionum nostrarum Principium esse non potest.*

Probatur 1. Primum Principium debet esse propositio per se nota; sed ista propositio Cartesii non est per se nota. *Probo*: Propositio per se nota constare debet terminis immediate et necessario inter se connexis, quorum convenientia ex clara et distincta ipsorum apprehensione statim appareat; sed ista propositio non constat hujusmodi terminis, quia non est simplex, sed discursiva, ita ut duo extrema illius non uniantur, nisi per medium, ut patet; ergo etc.

Nec reponere juvat, hanc solam propositionem, *ego cogito,* esse primum principium, hoc enim falsum esse convincitur ex ipsamet consequentia; scilicet *ergo sum*, eo quod sit prius me esse, quam cogitare; ac proinde cogitatio non potest efficere primum principium, quo demonstretur existentia. *Deinde*; prius est existentiam meam cognosci a me, quam cogitationem meam, qua concipio me existere per actum directum, me vero cognoscere tantum per actum reflexum intelligo; actus autem directus prior est reflexo, ut omnibus notum est. *Insuper*, eo ipso quo concipio me cognoscere, suppono me existere; ergo ex cogitatione mea, tanquam a principio omnium cognitionum, non recte colligo me existere. Verum apertius

Pobatur 2. Illud non est Principium omnis nostræ cognitionis, quod aliquam cognitionem supponit: sed actus illic reflexus, quo concipio me cogitare, supponit aliquam cognitionem; quia cum cogito, aliquid cogito, ac proinde congitio illius quod cogito, prior est cognitione reflexa cogitationis meæ: ergo *etc Præterea*: Illud Principium germanum censeri non potest, quod formaliter includit id ipsum, quod ex ipso infertur, conclusio enim contineri non debet in præmissis; alias non fieret argumentatio ab uno ad aliud, sed inutilis ejusdem repetitio; sed istud principium includit id ipsum quod infert: quid est enim ego cogito, nisi ego sum cogitans; Quid significat *sum cogitans,* nisi meam existentiam adjuncto modo accidentali, scilicet cognitione actuali: quid ergo aliud infertur per *ergo sum*, nisi existentia ab existentia, existentia scilicet absolute sumpta ab existentia modificata.

Probatur 3. et principaliter. Primum principium tale esse debet, ut ex ipso omnia alia principia pendeant, et omnes demonstrationes et cognitiones nostræ in ipsum ultimate resolvi possint, quo evidentiam suam et certitudinem ab eo accipiant; sed nulla est principii Cartesiani cum ceteris principiis et notionibus nostris connexio, nec necesse est, ut advertam me existere, ut possim intelligere bis duo esse quatuor: imo cum concipio quod existam, non statim concipio quid ego sim et cognitio illa parum, aut nihil juvat ad detegendam naturam, proprietates, et alia quæ in me sunt: ergo multo minus ad veritatem eorum, quæ extra me sunt, indagandam aliquid proderit.

Dicet Cartesius. Illud est primum omnium Principium, de quo is certus esset qui vel cetera omnia falsa supponeret; ac | ita est de præfato Principio: fingat enim aliquis, quod ea omnia quæ huc usque certa evidenter habuit, ea insuper quæ suis oculis videt esse falsa, dubitet se habere manus, caput, etc. nunquam tamen negare, aut dubitare poterit se esse: eo enim ipso, quo finget se ab omnibus falli, illud saltem animadvertet se esse qui fallitur, et quod nisi esset, non falleretur.

Respond. suppositionem, qua hæc ratiocinatio nititur, esse non modo inutilem, sed ineptam; quis enim mentis suæ compos finget se forsan dormire, forsan non videre, dum cælum et terram intuetur se forte decipi. Ad quid tam aliena, tamque insolita fictio? numquid ut sciam me esse qui cogito, cetera ignorare necesse est? Ad hoc mihi inducendum in animum, oportet serio dubitare non solum de rebus materialibus, quæ sensibus aperte sunt expositæ, non solum de primis ac notissimis scientiarum principiis, non solum de rebus divinitus revelatis, sed etiam de ipsa mea existentia, quid absurdum magis et nocuum excogitari poterat?

Instat Cartesius. Exuenda sunt præjudicia, et veritatem inquirenti semel de omnibus dubitandum est; nec aliam esse cognitionis certæ acquirendi viam, quam falsa cuncta supponere; donec tandem aliquid appareat, quod falsum esse non possit.

Verum quis æquus rerum arbiter judicabit rationi consentaneum esse, latentis veritatis perscrutationem relinquere, ut patenti tenebras offundamus: rerum dubiarum examen abjicere, ut certas in dubium revocemus; a rebus veris intellectum avertere, ut ipsum vanis suppositionibus addicamus: hoc enim non esset exuere falsa præjudicia veræ scientiæ inimica, sed in pessimum omnium præjudicium non minus a Fide, quam a scientia alienum ruere, hoc non est incipere esse Philosophum, ut prætendit Cartesius, sed desinere esse rationalem et Christianum; hoc non est indefectibilem scientiæ perfectæ viam inire, sed in fatalem et insuperabilem Scepticismum declinare.

Ceterum. Hac etiam hypothesi de rerum omnium falsitate prætermissa, altera in argumento Cartesii suppositio deprehenditur, quæ absolute non est vera, scilicet illud esse primum Principium omnium nostrarum cognitionum, quod in hypothesi quod omnia falsa essent, verum adhuc videretur; ad rationem enim primi Principii non sufficit, ut primo, et certo cognoscatur, sed insuper requiritur, ut in aliorum cognitionem inducat;

non est enim causa, aut principium sine aliquo effectu actuali vel possibili: sed ab ista propositione, *Ego cogito, ergo sum,* aliæ nostræ cognitiones non pendent tanquam a principio, per quod veræ demonstrentur, ut dictum est. Ergo, etc.

Tom. II, *Prima Pars Physicæ. De Principiis intrinsecis, et extrinsecis Corporis naturalis*, disp. I, *De Principiis intrinsecis Corporis naturalis*, quæstio prœmialis, *Quid, qualia, et quot sunt intrinseca principia corporis naturalis,* Conclusio III, p. 13a-14b.

Platonici pro principiis admittebant *magnum, et parvum*, ita docente Aristotele I. Met. cap. 6. Per *magnum* significabant materiam, quæ magnam habet capacitatem, cum susceptiva sit omnium formarum: per *parvum* autem intelligebant formam, quæ secundum causalitatem parva est, et valde limitata: quippe cum unicum habeat effectum formalem, unde Pythagorici, et Platonici solo nomine pugnabant invicem, nec dissentiebant ab Aristotele, nisi quod hic duobus ab illis assignatis principiis, etiam privationem adjungeret. Aristoteles enim, et cum eo Peripatetici considerantes corpus naturale in duplici statu, scilicet in fieri, et in facto esse, duplicis generis illius principia assignant; tria quidem prout est in fieri, seu dum fit, scilicet materiam, formam, et privationem: duo vero tantum dum factum est, nimirum materiam, et formam, quibus omnia corpora constitui, et constare affirmant. Hanc philosophandi rationem, quæ utpote veritati et naturæ magis consona ab omnibus scholis publicis, eo usque dierum probata, et acceptata fuit, hac ætate nostra Cartesius novitatis studio evertere aggressus est; cum autem statim alia rerum principia inducere enixus fuerit, sententiam ejus proponere, et in quibus cum veteribus Philosophis conveniat, et in quibus differat, declarare consentaneum est.*Convenit itaque primo*, cum Democrito et Epicuro, non alia statuenda esse rerum naturalium principia, quam ea quæ idcirco mechanica dicuntur, quod artificiosam rerum structuram explicent ex motu, figura, et aliis sensibus perviis corporis characteribus, quos appellat *accidentia*, quia adesse et abesse possunt: *qualitates,* quia rem *talem* denominant: et affectiones, quod materiam certa ratione afficiunt. Has vero numerat quinque, nimirum *motum*, *quietem, figuram, situm, et magnitudinem*: quarum affectionum complexum, idem efficere putat in materia, quod apud alios Philosophos præstat forma substantialis corporea: adeo ut in illius sententia, forma materialis, si animam rationalem excipias, nihil sit præter istorum accidentium complexum, quatenus rei consituendæ, et certis actionibus exerendis est accommodatus. Cum enim, inquit, materia per se nullius actionis eliciendæ vim habeat, eam ab iis affectionibus mutuatur; ita ut hæc accidentia, non vi materiæ, aut substantiæ, sed potius ipsa substantia vi suorum accidentium, et affectionum operetur.
Porro inter illas affectiones ex Cartesii mente, primarium locum obtinet *motus*, cui succedit *quies,* quam tam esse quid reale et positivum, quam motum ipsum: nec magis eam esse motus privationem, quam motus sit privatio quietis: motus enim, ut ipse concedit, extrinsecus advenit corpori, quod per se otiosum est, et quiescit. Deinde sequitur *figura*, seu diversa constitutio ipsius materiæ, quam ipse duplicem distinguit: *exteriorem* videlicet, quæ facile, et sine rei substantiæ præjudicio potest mutari; talis est globi cerei figura, quam exuere potest citra suæ naturæ dispendium: et *intimam*, quæ est conformatio subtilium et insensibilium partium, ex quibus quælibet res constat, quæque ad naturam rei præcise spectat: non enim, inquit, alia ratione ferrum a cera distinguitur, quam quod insensibilium earum partium, alia sit naturalis magnitudo, et alius situs. Putat autem *situm* nihil aliud esse, quam positionem corporis inter alia corpora, sive corpus illud sit majus, et simpliciter dictum, sive minus quod corpusculum appellat: *magnitudinem* vero dicit esse rei cujuslibet extensionem.
Secundo: Convenit Cartesius cum Democrito, quod in rebus corporeis substantiam uniformem statuat, figura tantum, aut magnitudine diversam: putat enim non aliam esse corporis substantiam, atque ibi esse corpus, ubicunque triplicem illam dimensionem in longum, latum, et profundum reperire est: non tamen existimat illam rerum materiam totam esse corporis naturam, et essentiam; nam forma, inquit, seu prædictarum affectionum complexio, etiam ad rei naturam, et essentiam spectat: sic ferrum est tota gladii substantia, sed non tota illius essentia.
Tertio: Consentit cum Epicuro artificiosam Mundi machinam sola motus impressione in partes materiæ fieri potuisse, nec actuali supremi Opificis opera indigere ad sui conservationem.
Sed in pluribus; et *primo* quidem, atque maxime dissert a Democrito, et Epicuro in sua de possibili mundi formatione hypothesi; licet enim putet materiam in partes quadratas divisam per motum istarum partium, per angulorum confractionem, et minutissimarum partium confusionem potuisse mundum huic similem componere, fidem tamen ducem se profitetur sequi, creditque mirandum hujus mundi opificium, non in fortuitum et temerarium congressum atomorum, nec in aliquid aliud esse referendum, quam in supremi opificis bonitatem, sapientiam, potentiam. Loquitur ergo | tantum de possibili, non de facto: et insuper in illa hypothesi,

quam dicit possibilem, supponit materiam a Deo creatam, divisam in partem, motuque donatam. *Secundo.* Rejicit atomos, asseritque corpora constare particulis infinite divisibilibus, aut potius indefinite tametsi nunquam infinita partium divisio fiat. *Tertio*, Democritus atomos ita solidas esse credidit, ut nulla ratione frangi possit: Cartesius vero subtilem suam materiam magna facilitate comminui posse censet. *Quarto,* nullum vacuum etiam divinitus induci posse affirmat; cum enim, inquit spatium sine trina dimensione concipi nequeat, nec trina dimensio sine substantia corporea, seu materia extensa, necessum est quod ubicunque perspicitur spatium, ibi admittatur materia, ac proinde corpus aliquod. Unde colligit, non solum intra mundi ambitum nullum contingere posse vacuum, sed etiam spatia illa, quæ extra cælos, imaginatione depingi possunt, plena esse corporibus: cum autem illa nullos habere limites concipiamus, et in immensum protendi, colligit Cartesius mundum esse indefinitum, nec alterum mundum, aut minimam materiæ portionem Deum posse creare.
Has omnes Cartesianas hypotheses suis locis fusius expendemus, et discutiemus. Interim vero obiter hic admonendum est, illius principia non omni ex parte videri certa; imo plura esse absuda, et aliqua, prout etiam ab ipso Cartesio explicantur, omnino impossibilia, et a Catholica Fide aliena. *Primo* namque falsum est et erroneum, corpus physicum nihil aliud esse præter trinam dimensionem: siquidem corpus Christi Domini sub Speciebus Eucharisticis est verum corpus physicum, nec tamen trinam ejusmodi dimensionem obtinet, cum totum sit in tota hostia consecrata, atque totum in qualibet illius parte. *Secundo,* falsum est figuram, et alias affectiones materiæ, si motus exceperis, esse qualitates activas; sunt quidem conditiones ad agendum requisitæ, non autem actionis ipsius principia; sunt materiæ apparatus, et accidentia, non vero formæ constitutivæ, et effectrices. Quin etiam qualitates proprie dici non debent, rem quippe non efficiunt *talem*: nam quando quærimus qualis res sit, non responderetur apposite eam moveri, aut quiescere, aut talem habere situm. *Tertio*: Illud etiam minime ferendum arbitror, vacuum ne quidem a Deo præpotenti posse induci; cum enim Deus potentissimus sit, rerum omnium conditor, et librator, eas pro libito constituere, et ordinare potest. Accedit, quod nulla mentis cogitatione percipere possumus in hypothesi Cartesiana, quomodo fieri possit, ut minutissimæ partes duræ ac solidæ materiæ, cum ex globulis sint excisæ, nulla inter se vacuæ spatiola intercipiant; quamcunque enim figuram obtineant, instar pulveris futuræ sunt, et nullo modo poterunt moveri, quin inter illas spatiolum aliquod intercedat. Neque etiam id probari potest quod ait, subtilem materiam magna facilitate posse comminui: quomodo enim fieri potest, ut corpus solidum nullos poros admittens tanta facilitate comminui queat. Similiter improbandum est illud medium, quod Cartesius admittit inter finitum, et infinitum, scilicet *indefinitum*; vel enim hoc universum fines habet, atque ita finitum est, quamvis ejus fines imaginatione consequi non possimus, vel nullis finibus continetur, et sic infinitum erit, non autem indefinitum. Cetera Cartesii principia, verius dicam inania figmenta commodius, et opportunius occurrentibus locis expendemus, sicut, et principia quæ statuunt Chymici, ubi sermo erit de Elementis. Igitur his omnibus Novatorum atque Veterum a veritate deflectentium rejectis placitis, Peripateticorum vestigiis insistentes, aggredimur explicanda ab eis proposita tria corporis naturalis formandi principia.

Tom. II, *Prima Pars Physicæ. De Principiis intrinsecis, et extrinsecis Corporis naturalis,*, disp. I, *De Principiis intrinsecis Corporis naturalis*, quaestio I, *An, quid, quotuplex, et qualis sit Materia prima,* Conclusio II, p. 17a-20b.

Definitur materia prima 1. Negative sic: *Materia nec est quid, nec quantum, nec quale, nec aliquid eorum quibus ens determinatur, sed horum omnium est commune subjectum*. Cujus sensus est hic: Materia nec est substantia completa, aut forma substantialis, nec quantitas, nec qualitas, nec alia forma accidentalis, tum absoluta, tum relativa, nec aliquid eorum in quæ ens prædicamentale dividitur: sed eorum omnium est commune subjectum proximum vel remotum.
Ubi adverte, quantitatem esse subjectum commune ceterorum accidentium corporeorum. Substantiam esse subjectum commune omnium prorsus accidentium; materiam vero primam esse subjectum commune omnium formarum substantialium; non quidem subjectum cui formæ hæreant, sed quod informetur, ex quo educantur, et in quod ultimo resolvantur.
2. Materia prima affirmative definitur: *Subjectum primum quo insito et inexistente fit aliquid per se et non per accidens, et si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum.* Dicitur primo *subjectum*, in quo differt a forma, quæ est actus. 2. Dicitur *primum,* ut distinguatur a toto composito, quod est subjectum accidentium, quæ sunt tantum actus secundarii. Additur 3. *quo inexistente,* id est, ex quo tanquam ex parte essentiali et constitutiva fit compositum physicum; et sic excluditur privatio, quæ tantum est terminus *a quo*, qui adveniente forma discedit, nec inest composito. Dicitur 4. *fit aliquid per se et non per accidens*; id est, fit compositum substantiale ex materia et forma, tanquam ex actu et potentia, ex determinabili, et determinativo. Ponitur

ultimo, *et si quid corrumpitur, in hoc abibit ultimum*: quibus distinguitur materia prima ab elementis, in quæ quidem resolvuntur mixta; ut lignum, quando comburitur, in ignem et cineres, sive terram; sed id non fit nisi mediante nova generatione et resolutione prioris compositi usque ad materiam primam, ut suo loco probabitur. Verum clarius et brevius sic definiri potest: *Materia est substantia physice incompleta a forma substantiali determinabilis ad faciendum corpus naturale.* Hæc competit omni et soli materiæ primæ, eamque tum a duobus aliis principiis, tum a composito sufficienter secernit; patent hæc per declarationem. I, Dicitur *substantia*, in quo distinguitur, tum a privatione, tum ab omnibus accidentibus. 2. *Physice incompleta*, quibus a corpore naturali seu composito physico secernitur: materia enim physice est incompleta cum sit pars physica, sed completa est metaphysice, quia constat genere et sua differentia. 3. *A forma substantiali determinabilis*, quibus a forma substantiali segregatur. Cetera verba aperiunt effectum materiæ primæ conjunctæ et unitæ cum forma, et per hoc distinguitur ab aliis subjectis, quæ cum forma accidentali faciunt unum per accidens.

Præfatam materiæ primæ ideam probatam a Pythagoricis, Platonicis, Stoicis et Peripateticis improbat Cartesius, docens materiam primam nihil aliud esse, quam extensionem in longum, latum et profundum: a quo non multum recessit Gassendus; dicens cum Epicuro, materiam esse extensionem solidam, et impenetrabilem in longum, latum et profundum: in hoc enim, inquit, materia seu corpus a spatio distinguitur, quod materia extensionem habeat solidam et impenetrabilem; spatium vero, in quo sunt corpora, sit penetrabile et permeabile. Hujusmodi utique definitionem contendit Cartesius potiorem esse iis, quas proferunt Peripatetici, utpote cum sit accuratior et clarior.

Verum, quantum a veritate, imo et Christiana Fide hac in assertione exorbitet Cartesius, hoc unico argumento satis superque manifestum fit. Illa materiæ definitio | et idea non est accurata, quæ omni et soli materiæ seu corpori non convenit: sed ita est de definitione Cartesiana. *Primo,* namque non convenit omni materiæ: siquidem adorandum Christi Domini corpus in venerando Eucharistiæ Sacramento, veram habet materiam, estque proprie dictum corpus: sed Cartesiana definitio et idea ipsi non convenit, quippe cum non sit extensum in latum, longum, et profundum: totus enim et integer est Christus sub specie panis, et sub quavis ipsius speciei parte: totus item sub vini specie, et sub ejus partibus existit, ut docet Concilium Tridentinum sessione 13. cap. 3. Quamobrem ait Canone 3. *Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.* Unde in laudem et explicationem hujus ineffabilis Mysterii caint Ecclesia; *Tantum manet sub fragmento, quantum toto tegitur.* At manifestum est Christi Domini corpus, sic existens, non esse extensum in longum, latum et profundum; proindeque Cartesiana definitio ipsi non convenit.

Non convenit etiam soli materiæ: nam Species Eucharisticæ sive panis, sive vini consecrati, remanent extensæ in longum, latum et profundum, nec tamen remanet sub eis materia panis, aut vini, quæ convertitur in Christi Domini corpus et sanguinem: unde ut tradit Concilium Tridentinum ibidem *cap. 4. et Canone* 2. his verbis, *Si quis dixerit, in sacrosanto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, et negaverit mirabilem illam, et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat, anathema sit.* Igitur Idea Cartesiana materiæ non soli materiæ convenit, ac proinde est rejicienda.

Reponit primo Cartesius, ut hujus argumenti vim elevet, sibi rem non esse cum Theologis, nec Philosophum decere ad rerum naturam et virtutem explorandam et aperiendam recurrere ad Fidei Mysteria, et rationes Theologicas passim obtrudere.

Verum, quam Philosophum Christianum hæc responsio dedeceat manifestum fit ex eo, quod Fides primaria sit, et constantissimæ veritatis regula, a qua quidquid deflexerit, quantumvis rationi consentaneum videatur, haud dubie falsum et erroneum censeri debet: quamobrem id a Christiano Philosopho merito exigitur, ut nihil astruat, quod Fidei aliqua ex parte repugnare videatur.

Reponit secundo: extensionem, aliasque Species Eucharisticas non esse præexistentis panis et vini accidentia; quia hæc, inquit, sine subjecto subsistere impossibile est; sed id quod remanet peracta consecratione, non aliud esse quam substantiam tenuem et aeream, intra panis et vini poros recondita, his destructis, remanet; et easdem nostris in sensibus producit affectiones seu sensus, eodem modo afficit, ut afficiebat prius panis et vini substantia.

Verum abyssus abyssum invocat; et cupiens vitare Charybdim Cartesius, incidit in Scyllam, errorem errori adjiciens, atque novo anathemati caput suum subjiciens: siquidem cum instauret erroneum dogma Vviclephi et Joannis Hus, contendentium substantiam panis et vini in Sacramento Eucharistiæ remanere; quia impossibile putabant accidentia sine subjecto posse consistere: unde ajebat Jo: Hus, *Fructus istius dementiæ, qua fingitur accidens sine subjecto foret blasphemare Deo, scandalizare Sanctos, et illudere Ecclesiæ*: hoc, inquam,

erroneum dogma renovans Cartesius, iisdem subjacet et fulminatur anathematismis, quibus in Concilio Constantiensi sect. 8. et 15. proscripta et protrita fuit hæresis Joannis Hus et Vviclephi.

Nec dicant, Hæreticos illos fuisse tantum in eo damnatos, quod assererent substantiam panis et vini post consecrationem remanere: etenim Concilium non solum hanc propositionem proscripsit, quam primam inter articulos Vviclephi retulit, sed etiam istam, quæ est veluti prioris fundamentum, quamque ideo secundo loco reposuit: *Accidentia panis non manent sine subjecto*: et istam, quæ etiam secunda est inde articulos Joannis Hus: *Secure denuntio modernis Hæreticis, quod non possunt declarare et intelligere accidens sine subjecto.* Num, quid autem pari confidentia et temeritate loquitur pluribi Cartesius, sed præsertim meditationum *pagin.* 297. ubi pronuntiat sententiam ab omnibus Theologis receptam de Accidentibus Eucharisticis sine subjecto existentibus, esse contrariam verbis consecrationis, parum tutam in fide, rationi repugnantem, et plane intelligibilem: cum ergo Cartesius dicit Accidentia Eucharistica nec esse nec intelligi posse sine subjecto remanere substantiam aliquam qua sustententur, eandem suam in assertionem | convertit condemnationis sententiam, quæ lata fuit contra prædictos Hæreticos. *Imo*: Si hujus opinionis principia penitius examinentur, non solum eodem niti fundamento, quo istorum Hæreticorum dogma, sed cum eo plane coincidere compertum erit: si enim quæramus a Cartesio, quid sit panis ante consecrationem, respondebit esse materiam tali figura, situ, magnitudine, talibusque proprietatibus affectam, quibus a quovis alio corpore distinguitur: sed post consecrationem remanet eadem extensio, ac proinde eadem materia, iisdem qualitatibus sensibilibus affecta, quarum complexio rationem habet formæ substantialis panis: ergo quod superest post consecrationem panis est; nec juxta sua principia assignare posset Cartesius, quid habebat panis ante consecrationem, quod post consecrationem non retineat: eadem enim restat materia, sive extensio in longum, latum, et profundum, eadem forma, sive eadem affectionum sensibilium panis complexio.

Reponit 3. Conversa panis substantia in corpus Christi, remanere superficiem panis, sub qua delitescens Christi Domini corpus, ingerit nostris sensibus easdem affectiones gustus, visus, odoratus, quas substantia panis imprimebat.

Contra. Hæc responsio non solum in Fidem et Religionem, sed etiam in rationem, atque in ipsa Cartesiana principia directe militat. In Fidem quidem et Religionem: enim vero si Christi Domini corpus sub speciebus panis et vini delitescens, suppleat utriusque substantiæ vices, easdemque nostris sensibus affectiones ingerat; consequens erit, quod quemadmodum per impressionem illarum affectionum substantia panis et vini dicebatur visibilis, sapida et odorifera; sic et adorandum Christi Domini corpus in Eucharistia dicetur sensibus sapidum, odoriferum et visibile, quod quam alienum sit a Religione et Fide, nullus Catholicorum est qui non videat. Pugnat etiam hæc responsio cum ipsismet principiis Cartesianis; etenim illa superficies Eucharistica est entitas realis, aut nihil; si nihil, frustra astruitur; si aliquid, aut est substantia, aut accidens; substantiam asserere nullus Cartesianorum Catholicorum audiebit, quippe Fidei dogma est post consecrationem nullam substantiam præter corpus Christi in Eucharistia remanere: non admittent etiam esse accidens, quippe ratum habent nullum accidens sine subjecto, etiam divinitus, posse consistere; certum est autem illam superficiem existere sine substantia panis et vini, quæ per consecrationem transmutatur in corpus Christi: igitur etc.

Reponunt insuper Cartesii Discipuli, quod etsi Christi Domini corpus has affectiones nostris sensibus non ingerat, eas a Deo ipso imprimi; neque enim quis in dubium potest vertere, quin Deus possit easdem impressiones in sensuum organis efficere, quas panis substantia antea producebat.

Ultro concedo Deum ista posse exequi; sed illæ quæ sic fierent impressiones, essent tantum ideales qualitates, non vero reales; essent effectus accidentium, non ipsamet accidentia in rebus ipsis consistentia: porro certum est albedinem, saporem, et figuram in ipsis Speciebus Eucharisticis, non solum autem in sensuum nostrorum organis consistere, dum ista accidentia percipimus. Enim vero illæ Species Eucharisticæ revera consistunt a parte rei cum Christi corpore citra sensuum nostrorum affectiones et impressiones, vel non? Si non consistant; igitur falsum est quod Eucharistia sit Sacramentum perseverans, quippe cum nullum in ea sit reale signum sensibile, quando nulla occurrit actualis sensuum apprehensio; si consistant, igitur falsum est, has species solum esse impressiones nostris sensibus divinitus ingestas, cum absque ullo sensuum officio a parte rei existant. Accedit quod si res ita esset, sequeretur Deum operari miracula, ut nobis illuderet, ingerendo species repræsentativas rei, quæ non adesset.

Reponunt alli Cartesiani, Christi Domini corpus in Eucharistia verum esse corpus, veramque habere materiam triplici extensione constantem, non eam quidem quam habebat, dum cum hominibus conversaretur, quamque æternum obtinebit, sedens ad dexteram Patris; sed eam forte quam obtinuit in primo suæ conceptionis momento, quæ nimirum sufficiat ad omnimodam partium confirmationem et organizationem. Licet enim, inquiunt, extensio ad naturam corporis et materiæ spectare decernatur; attamen illa extensio certa et definita non exigitur in quolibet corpore: unde quemadmodum idem homo dicitur puer, vir, et senex, licet diversam

habeat extensionem: sic Christi Domini corpus dicetur idem esse in Eucharistia, quod est in cœlo, tametsi diversam habeat extensionem, majorem quidem in Cœlo, et minimam in Sacramento.
Contra. Ex Cartesianorum sententia, materiæ et corporis essentia consistit in trina | extensione; igitur hac extensione mutata, etiam mutari debet corporis essentia; ac proinde non potest idem corpus, et immutatum essentialiter habere diversam extensionem: igitur necessum est, aut Cartesiani fidem, aut sua principia ejurent. Nec quidquam eos juvat allatum exemplum; neque enim idem homo est adæquate vir et adultus, qui fuit puer et infans, quippe cum per nutritionem, novæ semper adjiciantur partes substantiales, quæ in ipso quamdam distinctionem numericam inadæquatam efficiunt. Idem autem numero Corpus Christi essentialiter et adæquate quod est in cœlo, est etiam in Altaris Sacramento: igitur si illius essentia consistat in illa triplici extensione, eandem quam obtinet in cœlo, etiam in Sacramento habere debet extensionem: certum est autem extensionem utrobique non esse parem, tametsi idem sit corpus eademque materia; igitur ratio essentialis corporis et materiæ, non consistit in illa triplici corporis extensione.
Opponunt Cartesiani. In eo constituenda est materiæ, et corporis essentia, quod est in ea primum conceptibile; sed trina dimensio et extensio est prima ratio conceeptibilis in materia et corpore, et ita ipsi intima, ut nequidem cogitatione ab ea separari possit: cæteris enim a materia detractis, ut colore, duritie, sapore etc. dummodo res in longum, latum et profundum protendatur, veram rei materialis, et corporeæ rationem obtinebit: at si dimensiones ab ea sustulerimus, jam non concipietur ut corpus, sed ut spiritus.
Respondeo distinguen. minor. Trina rei dimensio est quod primum in ea concipitur, quatenus est corpus mathematicum, *Concedo*: quatenus est corpus physicum, *Nego*; nam corpus physicum est quidem substantia extensa, non vero ipsa extensio; et præterea habet in se vim motricem, ac principium agendi, et patiendi, aliisque proprietatibus, et prærogativis donatur, quæ in triplicem duntaxat extensionem, et dimensionem non possunt refundi.
Urgent. Non aliter de rebus ipsis judicare debemus, quam juxta ideas quas de illis distincte formare licet; sed alia distinctior, et clarior nobis non occurrit idea corporis, quam ipsius extensionis, quæ prima nostris sensibus obversatur: igitur non in alio quam in hac triplici extensione constituenda est ipsius idea, et existentia.
Respondeo, ad minorem eandem distinctionem recurrere: Etenim alia quidem distinctior, et clarior nobis non occurrit, idea corporis mathematici, quippe cum tota ipsius ratio in extensione consistat: secus autem est de corpore physico, cujus alia assignantur principia, et aliæ virtutes ab ipsa extensione omnino diversæ. Accedit quod non potius nobis ingeratur rei corporeæ species sub ratione extensionis, et ea mediante ipsius idea, quam ejusdem impenetrabilitas, vel divisibilitas; ideo enim habemus ideam corporis extensi, quia nullum nobis occurrit corpus, quod non sit extensum: sed nullum etiam percipimus, quod sit divisibile, impenetrabile et figura comprehensum; quidni igitur pari ratione essentiam rei corporeæ, et materialis in aliquo eorum, sicut in extensione constituamus.
Opponunt 2. Ille est rei materialis et corporeæ character essentialis, quo potissimum a re spirituali distinguitur; sed ita distinguitur per extensionem seu dimensionem. *Probatur.* Si enim omni extensione destitueretur, indivisibiliter et modo spirituali existeret: igitur etc.
Nego minorem. Res enim materialis et corporea, etiam seclusa extensione, habet unde essentialiter a spiritu differat, scilicet per gradum substantiæ corporæ, que a spirituali omnino discrepat, quatenus nimirum est principium intrinsecum operationum sensibilium, et capax suscipiendi accidentia sensibus nostris pervia. *Ad minoris probationem* dico, corpus sine extensione tam in ordine ad se, quam in ordine ad locum, existeret indivisibiliter et modo spirituali, *transeat*: corpus destitutum extensione tantum in ordine ad locum, et habens extensionem partium in ordine ad se, existeret modo spirituali, *Nego*; haberet enim partes aliqua ratione extensas, et ab invicem distinctas, tametsi per respecum ad locum, non essent ab invicem dissitæ.
Alia sunt, sed leviora Cartesianorum fundamenta, quæ cum facili negotio convelli possint, supervacaneum duximus in eis referendis et refellendis diutius immorari.

Tom. II, *Prima Pars Physicæ. De Principiis intrinsecis, et extrinsecis Corporis naturalis*, disp. I, *De Principiis intrinsecis Corporis naturalis*, sectio III, *De Forma substantiali,* quaestio I, *An et quid sit Forma substantialis*, p. 35b-36a

Formam naturalem, qua corpus quodlibet in suo esse specifico constituitur, et ab alio quovis distinguitur, omnes Philosophi censuerunt admittendam: corpora quippe cum sint diversa, etiam distinctas specie debent involvere formas, quæ sint hujus diversitatis principium et ratio. At non conveniunt omnes in assignanda et explicanda ipsius formæ definitione et essentia. Plerique enim veterum Philosophorum putabant nihil aliud esse in re naturali præter materiam et varia accidentia: unde colligebant, teste Philosopho *cap*. 1. *Operis de ortu*, nullam

esse productionem substantialem, sed tantum accidentalem, quamobrem dicebant generationes omnes fieri aliquo ex quinque modis, quos enumerat hic Philosophus *cap*. 7. scilicet vel *transfiguratione*, quomodo ex ligno sit statua; vel *additione*, sicut augentur corpora: vel *detractione,* ut ex rejectis inutilibus partibus lapidis vel ligni fit mercurius: vel *compositione*, uti ex variis corporibus simul junctis domus instauratur; vel *alteratione*, ut ex aqua fit glacies.

Hanc philosophandi de forma naturali rationem pridem obsoletam et antiquatam e tenebris excitarunt Recentiores nonnulli, quibus ducem se præbere voluit Cartesius, affirmans formam substantialem nihil aliud esse, quam certam complexionem accidentalem modorum materiæ, nimirum motus, quietis, figuræ, situs et magnitudinis, quæ complexio non sit ipsi materiæ essentialis, sed tantum corpori. Sunt etiam nonnulli, qui cum Galeno Medicorum Principe *lib.* 2. *de elementis*, asserunt formam | substantialem nihil aliud esse, quam certum temperamentum, seu temperiem quatuor primarum qualitatum, certamque aliorum accidentium ab eis dependentium combinationem et adunationem quam *Crasim* appellant; qua temperie destructa, res quælibet sua specie, suoque nomine excidit, et per novam earumdem qualitatum combinationem, novum aliud corpus diversæ speciei efficitur.

Quidam etiam contendunt formam naturalem seu corpoream esse quoddam ens respectivum et per accidens ex variis proprietatibus ad diversas operationes attinentibus, necnon ex diversis materiæ affectibus et accidentibus emergens. Quamobrem censent illi Philosophi aurum ab argento non aliter distingui, quam ratione certarum qualitatum sensibilium, puta quod sit flavum, seu subrubrum, cæteris metallis gravius, omnium maxime ductile, et quod in igne fixum sit, nec pondere minuatur, nec in aqua forti exsolvatur: quas omnes qualitates, ubi in aliquo metallo peritus faber aurarius deprehenderit, recte judicabit illud esse verum aurum, tametsi de alia forma substantiali nihil inquirat.

Verum Peripatetici cum suo Principe, imo et Platonici et Pythagorici contendunt in corpore quovis naturali admittendam esse formam quandam principem, quæ sit substantia incompleta, per generationem de novo producta, ab accidentibus et eorum temperie, necnon et a materia distincta, et cum ea concurrens ad constitutionem corporis naturalis.

Itaque, duo hic statuenda videntur; *primum,* utrum admittenda sit in quolibet composito naturali, præter materiam et sensibilium qualitatum congeriem, aliqua forma princeps, quæ sit radix proprietatum, affectionum et operationum istius corporis, cæterasque formas potestate et in officio contineat. *Secundum,* quæ sit istius formæ definitio et essentia.

Tom. II, *Prima Pars Physicæ*. *De Principiis intrinsecis, et extrinsecis Corporis naturalis,* disp. I, *De Principiis intrinsecis Corporis naturalis*, sectio III, *De Forma substantiali,* quaestio I, *An et quid sit Forma substantialis*, conclusio I, p. 36a-40a.

Datur forma substantialis. Hæc est communis apud omnes Peripateticos et Christianos. De fide enim animam rationalem esse formam substantialem humani corporis, ut determinatum est in Concilio Viennensi sub Clemente V. his verbis. *Si quisquam deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tamquam Hæreticus sit censendus.* Quæ determinatio innovata est in Concilio Lateranensi ultimo *sess.* 8. *Insuper*: Fides edocet post verba consecrationis, perire totam panis substantiam, remanentibus illius accidentibus: Ergo illa accidentia non sunt forma panis, alioquin illa non desineret. Sed ratione probatur.

1. *Ex corporum constitutione.* Id quod concurrit cum materia ad constituendum compositum substantiale intrinsece, illudque distinguit essentialiter et substatnialiter a quolibet alio debet esse substantia; sed forma concurrit cum materia ad formandum corpus naturale, et juxta sui diversitatem, corpora substantialiter diversa efficit: igitur etc. *Major constat*: *Tum* quia, quod intrinsece speciem physicam tribuit corpori naturali, est in eo quid perfectissimum; ac proinde si materia, ex qua corpus naturale componitur, ut parte determinabili et perfectibili, sit substantia, multo magis fatendum est id quod perficit materiam, eamque determinat ad constitutionem corporis naturalis debere pariter esse quid substantiale. *Min. etiam est evidens*. Nemini quippe dubium est materiam primam egere consortio formæ, ut cum ea corpus naturale constituat; et formæ beneficio unum corpus substantialiter ab alio discrepare.

2. *Ex corporum distinctione* sic; Quædam corpora substantialiter distinguuntur, ergo per aliquid substantiale: sed illud quo distinguuntur non est materia, quæ ipsis est communis. Ergo est forma. *Prob. ant.* Corpora viventia distinguuntur ab inanimatis: sed ridiculum esset, ea tantum per accidentia distingui. *Confirmatur*: Magis differt homo a lapide, quam homo albus a seipso nigro accidentaliter. Ergo homo differt a lapide substantialiter, ergo per formam substantialem. Ergo illa est admittenda. *Deinde*: Magis homo convenit cum

equo, quam cum lapide; uterque enim est substantia vivens vita vegetante et sensitiva, cujus lapis est expers: sed non obstante illa convenientia, homo et equus invicem substantialiter differunt; ac subinde per formam substantialem, quæ sit hujus distinctionis formale principium et character: igitur pari ratione homo, et equus discrepabunt. *Denique*, materia est quid substantiale; igitur etiam et forma. *Conseq. Patet*: forma quippe perfectior est materia: *tum,* quia actus primus est præstantior pura potentia physica, forma autem est actus, materia | vero pura potentia: *tum,* quia forma determinat materiam ad compositionem corporis naturalis: *tum* denique, quia materia est iners et omnis activitatis est expers; forma vero est per se activa et operativa: igitur si materia sit substantialis, multo magis forma talis est censenda.

3. *Ex corporum generatione, et corruptione*. Experientia constat quotidie res aliquas generari et corrumpi: sed id quod generatur, non acquirit solum formam accidentalem; nec id quod corrumpitur, solum formam accidentalem amittit: alioquin dum aqua de frigida fit calida, diceretur generari simul et corrumpi; generari quidem, quia acquirit formam accidentalem, puta calorem: corrumpi vero, quia amittit formam accidentalem sibi ingenitam, puta frigus.

Reponunt Cartesiani mutationem in aliquo corpore contingentem non dici essentialem, nec habere rationem generationis et corruptionis proprie dictæ, nisi dum tanta, tamque notabilis apparet, ut non unum aut alterum tantummodo accidens periisse, sed totam accidentium nativorum complexionem dissolutam esse conspiciamus; tunc enim, inquiunt, res suo nomine suaque specie excidit. Quando autem mutatio minor est, ita quod subjectum penitus non destruat, tunc non censetur corruptio, sed vocatur tantum alteratio.

Contra, ex ea responsione sequeretur generationem et alterationem distingui tantum secundum magis, et minus, et ex eo quod in alteratione fiat minor, quam in generatione mutatio, adeo ut utraque mutatio duntaxat esset accidentalis: at istud repugnat vi et naturæ generationis, quæ per se tendit ad generationem corporis secundum illius esse substantiale, in hoc enim illa ab aliis mutationibus discrepat.

Deinde. Falsum est corpus naturale constitui per complexionem plurium accidentium: *tum*, quia si unum accidens distributive sumptum non possit corporis naturalis essentiam instituere, ut fatentur adversarii, qui fieri possit ut accidentium connexio eam vim obtineat, cum per hanc connexionem ab accidentium ratione et virtute non recedant; *tum*, quia corpus naturale est unum per se, illa autem accidentium congeries et complexio est tantum unum per accidens.

Denique. Idem esse debet judicium de cæteris corporibus naturalibus ac de aqua: sed hæc constituitur per formam substantialem, quæ principium et radix est aliarum formarum accidentalium ipsi connaturalium, cujus utique argumentum est, quod quando igni superposita efferbuit, ab eo remota sponte sua et sine ullo externo aut interno auxilio recuperat pristinum frigus: sed illa recuperatio fieri non potest nisi vi formæ substantialis: neque enim fit, ut volunt aliqui, ab aquæ materia: quia cum hæc sit indifferens ad omnes formas, nulla apparet ratio cur calorem expelleret, ut acquireret frigus. Non etiam fit a quibusdam frigoris partibus, quæ in aqua remanserit; *tum,* quia nulla qualitas in proprio subjecto seipsam augere potest; *tum*, quia si in aqua calidissima restarent aliquæ partes frigoris, illæ forent exiguæ, proindeque summum calorem ab aqua non possent deturbare. Non fit etiam ab aere frigido ambiente: tum, quia cum calor aquæ sæpe superet aeris frigus, potius debellaret illud frigus, quam ab eo vinceretur. Tum, quia eo velocius aqua refrigeraretur quo exponeretur aeri frigidiori; sed illud experientiæ repugnat, qua constat aquam calidam radiis solaribus expositam promptius refrigerari, quam si aeri frigido exponatur; propterea quod calor solis superficiem aquæ rarefaciens liberum calori præbeat exitum, quem occludit frigus aeris illam superficiem condensans, et coarctans. Igitur fatendum est pristini frigoris recuperationem in aqua, non alteri, quam formæ substrantiali esse tribuendam.

4. *Ex operatione* sic. Sola temperies primarum qualitatum non sufficit animantibus, ut suas vitales operationes eliciant, puta ut videant, audiant, moveantur, etc. Ergo admittenda est forma substantialis, quæ sit earum operationum principium. *Probo antedec.* Animal statim moriturum, et animal mortuum plus invicem differunt, quam differant animal perfecte sanum, et idem animal vehementer ægrotum: animal siquidem sanum et ægrotans easdem elicit operationes, etsi non eliciat æque perfecte, ut constat ex visione, locutione, etc. animal vero statim mortuum, non habet amplius easdem operationes quas habebat moribundum: sed illud discrimen refundi nequit in diversitatem temperamenti. *Probo*: Animal perfecte sanum et vehementer ægrotans, non habent eandem temperiem, et tamen easdem habent operationes: animal vero moribundum et statim mortuum eandem habent temperiem: quis enim credat animal statim mortuum eandem quam prius non habere temperiem, et eam tantillo temporre fuisse immutatam? | Non tamen easdem habet operationes quas prius: Ergo illæ diversæ operationes in aliquid aliud, quam in temperiem sunt refundendæ. Sed in nihil aliud, quam in formam, quæ inest eadem animali sano et ægroto, non vero inest eadem animali moribundo et mortuo: Ergo etc. *Confirm.* Immutari potest temperies, immutata rei substantia: sed res non potest immutari immutata forma substantiali; ergo forma substantialis non est eadem cum rerum temperamento. *Probo majorem.* Aquæ temperies est frigus sibi connaturale: sed aquæ frigus immutari potest, si nempe aqua igni superimponatur; et

iterum recuperari, si ab igne semoveatur, aqua tamen substantialiter eadem remanente: Ergo etc. *Hinc* habes rationem, quare ferrum ignitum nativa sibi accidentia recuperat, dum ab igne semovetur: palea vero accensa non ita; scilicet quia ferrum ignitum suam retinet, palea vero suam deperdit formam substantialem.
Objicit Galenum. Illa est forma rerum naturalium, qua posita res ponitur, et qua sublata tollitur: sed posito temperamento, res ponitur, et eo sublato perit. Ergo etc.
Nego major. Est enim absolute falsa, ut constat hoc exemplo: posita ligni approximatione ad ignem fit combustio; et eadem sublata tollitur combustio, nec tamen approximatio est forma comburens lignum. *Minor* similiter est falsa, quippe cum sæpe contingat insigniter mutari temperiem, imo et pene deleri, nec tamen res perimitur, ut constat de aqua calidissima, quæ nedum aqua semper perseverat, sed etiam semoto agente calefactivo, pristinum frigus perseverat.
Vel disting. major. Admisso temperamento exsurgit corpus naturale et subsistit; eo autem everso destruitur consequenter, *concedo*: formaliter et præcise, *nego*. Fateor igitur quod posito aut sublato temperamento, corpus naturale subsistit aut perit consequenter, quia tollitur forma princeps et substantialis, quæ hanc accidentium collectionem et temperiem fovebat, et conservabat; unde hac pereunte necessum est etiam pereat temperamentum, ac proinde ut corpus destruatur.
Objicies 2. Illius existentia non est asserenda, cujus nulla potest haberi cognitio clara et distincta: sed ita est de forma substantiali; igitur etc.
Disting. minor. Formæ nulla potest haberi distincta cognitio clara sensitiva per species sensibiles, et quæ facultatem imaginatricem spectet, *concedo*: Quæ fiat per facultatem intellectivam et evidentem discursum, *nego*. Fateor igitur formam substantialem materialem non posse quidem clare et distincte percipi a facultate imaginatrice et sensu externo; potest vero colligi illius existentia per intellectum et discursum: sicut enim animæ rationalis existentia colligitur ex illius effectibus et proprietatibus; sic et forma substantialis corporea infertur ab accidentibus et operationibus, quarum illa radix est et principium.
Instabis. Si quaa de forma substantiali corporea haberi posset clara et distincta cognitio, conciperetur illa, vel ut quid spirituale, vel ut aliquid materiale: at neutrum potest affirmari; non quidem primum, cum enim illa forma concurrere debeat cum materia ad constituendum corpus naturale, necessum est quod illa sit etiam quid corporeum. Non etiam secundum, quia quod est materiale, vel est materia ipsa, vel constans ex materia: sed forma nec est ipsa materia, quippe cum supponatur illius compars in constitutione corporis: neque etiam constat ex materia, alioquin esset non pars corporis constitutiva, sed corpus ipsum; utpote cum involveret simul materiam et formam: igitur ipsius formæ nullus dari potest certus et determinatus conceptus.
Respondeo 1. *negari posse majorem.* Nam ex mente Cartesianorum, qui hoc argumentum obtrudunt, figura corporis tametsi materialis ab eis censeatur, nihilominus tamen ex eorum mente, nec materia est, nec ex materia constat: igitur quamvis forma corporea dicatur materialis, non propterea dici debet materia ipsa, vel ex ea constare.
Respondeo 2. *distinguend. min.* Forma illa est materialis, quatenus materiale opponitur spirituali, et idem significatur ac corporeum, *concedo*; quatenus materiale idem denotat ac id quod constat materia, *nego*.
Objicies 3. Forma quæ recipitur in subjecto, et ab eo pendet, non est substantia, sed accidens: atqui forma quæcunque corporea recipitur in materia tamquam in subjecto, et ab ea pendet, ub subsistat: igitur censeri non debet substantialis, quippe cum per se non subsistat.
Distinguo major. Forma quæ recipitur in subjecto substantialiter completo, nec cum eo concurrit ad constituendum totum per se in unitate naturæ, non est quid substantiale, *concedo*: secus, *nego*. Jam vero forma, quam substantialem dicimus, est quidem | in materia tanquam in subjecto incompleto, et simul cum ea constituit corpus naturale, quod est unum per se in unitate naturæ: quod utique satis apparet ex proprietatibus et operationibus illius corporis, ex materiæ et formæ conjunctione resultantibus, quæ nec in solam materiam, nec in solam formam refundi possunt: unde concludendum est formam substantialem esse quidem in materia tanquam in subjecto informationis, non vero tanquam in subjecto inhæsionis.
Urgebis. Illa forma dicenda est esse in subjecto inhæsionis, quæ dependet a subjecto in fieri et conservari: atqui forma illa, quam substantialem nominamus, dependet a materia in fieri, cum extra eam subsistere nequeat naturæ viribus. Ergo est accidentalis.
Ad hæc multi multa dicunt, sed quæ manifeste petunt principium. Idcirco censeo rectius esse dicendum, hanc formam recte nominari substantialem, quia nullam aliam in subjecto præsupponit ex qua sequatur; est ratio formalis, cur cæteræ formæ accidentales conservativæ compositi, ipsi composito conveniant: sic, v. gr. forma aquæ idcirco dicitur substantialis, quia ipsa primo materiam determinat ad compositum substantiale constituendum, et est ratio cur frigus sit aquæ connaturale. Quod si hanc formam etiam accidentalem nominare volueris, sola apud nos erit quæstio de nomine: sed mecum sentient, arbitror, melioris notæ Philosophi, qui nomine formæ substantialis nihil aliud, quam quod dixi, intelligunt.

Instab. Anima rationalis est forma substantialis: sed ea supponit formam corporeitatis in corpore: ergo nostra etiam responsio deficit.
Distinguo minor. Supponit formam corporeitatis, ut sibi subordnatam, qua constituatur corpus organicum, aptum ad vitam et animam excipiendam, *concedo*: eam supponit, ut formam completam, et non sibi subordinatam, *nego.* Anima igitur cujuslibet viventis cum habeat pro subjecto corpus organicum, quod efficere debeat vivens, necessario in eo subjecto supponit formam, qua subjectum istud constituatur in esse corporis organici, cum quo efficit unum per se, ut constat ex facultatibus, operationibus, et proprietatibus resultantibus ex earum unione, quæ ex neutro separatim procederent: sic nutritio, motus localis, locutio, risus, etc. nec a solo corpore, nec ab anima sola, sed ab utroque procedunt.
Objicies 4. Forma substantialis prorsus est inutilis, si effectus qui ipsi tribuuntur, congruentius in aliud principium quam in ipsam refundi possint: sed ita est. *Probatur:* Idcirco sentiunt Peripatetici admittendam esse formam substantialem, maxime ut sit principium et radix operationum corporis naturalis: sed sine formis admitti possunt alia principia talium operationum: nam illæ actiones quæ mere sunt corporeæ, refundi possunt in alia duo principia, nimirum vel in Deum ut auctorem motus corporum in universum, quatenus materiam condidit in motu: nec non et in triplicem materiæ characterem seu combinationem Cartesianam, quæ hunc universalem materiæ motum ad certos modos determinet, quales sunt figura, situs, et ordo. Sicut enim corpus naturale, ut affectum certis modis per artem productis, potest esse principium operandi et movendi in aliquo toto artificiali, puta horologio: quidni complexio modorum ipsius materiæ eandem vim obtinebit?
Respondeo 1. Hoc argumentum falsum supponere, nimirum quod omnes actiones corporeæ sint quidam motus: cognitio namque sensitiva non est motus, licet sit corporea. Deinde supponit Deum esse solam causam omnium quæ fieri censentur a creatura, et illas non influere in suos effectus, quod falsum esse infra demonstrabimus. Accedit quod etsi Deus esset principium motus in genere, et materiæ combinatio principium determinativum motus in specie; nihilominus insuper requireretur aliquod principium in corpore naturali, quod exigeret tales operationum et motuum modos, talemque et non aliam materiæ combinationem propter illos operandi modos: neque enim existimandum est motus et operationes ita constanter et invariate ab una eademque re procedere, nisi in ea esset intrinsecum aliquod principium hujusmodi motus et operationis. Porro principium istud non est ipsa materia, quæ est indifferens ex se ad quemlibet statum: igitur necessum est quod principium istud intrinsecum non aliud quam ipsa forma censeatur.
Neque est quod respondeant Cartesiani, operationes illas refundi debere in complexionem modorum ipsius materiæ; hi namque modi cum sint accidentales et variabiles, minus sunt perfecti, ac proinde minus activi, quam ipsa substantia. *Deinde*: Quamvis haberent vim activam, non tamen possent esse primum agendi principium; sicut enim per se non existunt, ita propria | virtute agere non possunt, sed ad summum sunt conditiones ad agendum requisitæ: sic rotunditas v. g. censeri potest dispositio seu conditio requisita, ut corpus moveri possit circulariter, non autem est principium activum istius motus.
Nec etiam quidquam proficit eis tantopere decantatum exemplum horologii; siquidem horologium quatenus est artefactum, non habet in se principium sui motus: nam motus qui ab ipso proficiscuntur, proveniunt a natura ponderis rerum inservientium horologio, non autem ab aliquo, quod sit intrinsecum ipsi horologio secundm se sumpto, seu quatenus horologium est. Fateor equidem dispositionem artificialem horologii efficere, ut materia recipere possit diversos motus, et modificare actiones corporis naturalis: sed non esse earum actionum principium activum; pondus enim, in quod præcipue refunditur motus horologii, ipsius partibus non convenit, quatenus est artefactum, sed quatenus illæ partes sunt corpus naturale: unde motus ille requirit auxilium agentis extrinseci ut conservetur; itaque præter illam dispositionem mechanicam admittenda est in rebus forma substantialis, quæ sit principium talis motus.

Tom. II, *Secunda Pars Physicæ*, *De Proprietatibus Corporis Naturalis,* disp. I, *De Motu*, sectio I, *De natura motus,* quaestio I, *Quod sit Motus*, conclusio unica, p. 149a

Ex dictis evidenter patet definitionem motus, quam his verbis tradidit Cartesius, *Motus est translatio unius corporis e vicinia aliorum corporum, quæ spectantur in quiescentia*, non esse legitimam; quia ad motum localem duntaxat pertinet; alias enim motus species non admittit: verum nequit eam motus species non admittit: verum nequit eam motui locali quadrare infra, ubi de alio motu agemus, ostendetur.

Tom. II, *Secunda Pars Physicæ*, *De Proprietatibus Corporis Naturalis,* disp. I, *De Motu*, sectio III, *De speciebus motus,* quaestio I, *Unde proveniat continuatio motus projectorum*, p. 163b

Recentiores autem aliqui existimant causam immediatam hujusce continuati motus in projectis esse vim elasticam aeris, qui compressus, condensatus, et divisus per corpus projectum, illud emittit, ut priori situi et conjunctioni sese restituat, eo fere modo ceræ nucleus digitorum pressione emittitur; *Cartesius* existimat motum illum continuari ex ipsa lege naturæ, quæ censet res quasque in eo statu perseverare debere in quo consistunt, nisi ex causa externa ab eo dimoveantur: unde fit, inquit, ut quemadmodum res in quiete tandiu perseverat, donec ab aliquo principio externo moveatur; ita ubi semel in motu est posita, semper eum conservat; donec per causam estraneam in quiete collocetur; quamobrem in ejus sententia, non est alia causa motum continuati, quam incepti, videlicet illud quod motum imprimit. *Cæteri* vero *Philosophi melioris notæ,* tam Veteres, quam Recentiores docent, continuationem motus projectorum fieri per qualitatem impressam mobili a projiciente, quæ quandiu perseverat, tandiu motus continuatur, ita ut illa languescente motus languescat, et tandem ea desinente et pereunte, motus etiam pereat. Quæ autem earum sententiarum fit probabilior, aperiet.

Tom. II, *Secunda Pars Physicæ*, *De Proprietatibus Corporis Naturalis,* disp. I, *De Motu*, sectio III, *De speciebus motus,* quaestio I, *Unde proveniat continuatio motus projectorum*, conclusio II p. 165b-166a

Impetus projectorum est qualitas primæ speciei projecto impressa ab extenro, quæ potest ipsum deferre in quamlibet loci differentiam et realiter ab ipso distincta. Hæc conclusio est contra Cartesium, aliosque contendentes impetum, quo projectum movetur, nihil aliud esse, quam respectum projecti ad diversa loca, in quæ dirigitur. [...] | [...]
Nego min. et ejus probat. dist. Projiciens est causa sufficiens motus, remota et pricipalis, *conc.* proxima et instrumentalis, *nego*. Hic vero agitur de causa proxima et instrumentalis, cujus beneficio projectum separatum a projiciente movetur: at certe alia non potest assignari præter illum impetum a projiciente impressum. Si enim alia esset assignanda, maxime Deus, ut vult *Cartesius*; sed non est recurrendum ad Deum, tamquam ad solam causam alicujus effectus, quando occurrit aliqua causa secunda creata, cui effectus ille possit attribui. Nec obstat, quod Deus hunc effectum solus possit producere; inde enim non est consequens quod revera eum solus producat, alioqui nulla esset causa secunda; siquidem nullus est effectus quem Deus non possit producere solus, sicque nec ignis calorem, nec Sol lumen effunderet, nec homo hominem generaret, et sic de cæteris.

Tom. II, *Secunda Pars Physicæ*, *De Proprietatibus Corporis Naturalis,* disp. I, *De Motu*, sectio III, *De speciebus motus,* quaestio II, *De motu gravium et levium*, p. 167ab

Notand. 2. Inter dissidentes, et a communi sententia deviantes Philosophos circa motum gravium et levium, nonnullos esse, qui *Thomistis* consentientes, existimant gravia et levia habere vim movendi se deorsum et sursum a generante. Aliqui vero cum *Empedocle* putant omnia elementa et mixta a Cœlo moveri; ita quod rapidissima sua revolutione et gyratione corpora, quæ suo ambitu et sinu complectitur, in motum agat, ea ad se trahendo, alia propulsando. Sunt etiam qui asserunt gravia et levia moveri per vim quandam attractivam, et sympathicam sui loci et centri, quam explicant per comparationem virtutis magneticæ. *Gassendus* autem existimat corpora gravia trahi deorsum a terra per effluxus substantiales et atomos quasdam aduncas et hamatas ab ea promanantes, atque invicem veluti concatenatas, quæ ubi corpora arripiunt, illa secum ad terram remeantes attrahunt. *Cartesius* vero existimat corpora levia idcirco sursum ferri, quia habent plurimum subtilis materiæ; cum enim, inquit quæcunque moventur circulariter, a centro sui motus recedere conentur, et materia subtilis continuo circa terram circulariter agitetur; hinc est quod illa continuo nititur a terra recedere, eamque fugit ut sui motus impedimentum. Unde fit ut corpora, in quibus plus est materiæ subtilis, longius a terra recedant: quæ vero minus habent, in eam tendant et deprimantur: sic ignis qui plus habet materiæ subtilis, quam alia elementa, ea sibi subjicit; sic pariter aqua terram, et aer aquam sibi subjicit.
Ut autem planior fiat Cartesii sententia, paulo altius repetenda est. Putat itaque terram, aerem, aquam, et materiam quandam subtilem, de qua alias, cætera corpora permeantem, continuo motu volvi, gyrare circa centrum ab Occidente ad Orientem, atque communi conatu eniti juxta leges motus circularis, a centro sui motus recedere: attamen cum aliqua corpora majoris, alia minoris motus sint capacia; hinc fit ut alia fortiori conatu et validiori impetu a centro recedere moliantur, et corpora minoris motus capacia, ac proinde minori vi ad recendum a centro prædita, in infima detrudant, et terræ, cujus motus est tardior, velut affixa teneant. Cum autem materia subtilis motum omnium concitatissimo moveatur, et validius cæteris in centro motus recedere conetur, ubi in loco superiori reperit aliquod corpus tanta velocitate agitatum illud statim deorsum depellit, ut ad locum ipsius ascendat; sicut enim aqua in pelvi baculo circumacta pulverem ceræ obsignatoriæ, paleas, et

alia hujusmodi injecta in ipsam, ubi resedit vehementior impetus, a lateribus vasis in medium protrudit, ut ad eadem latera circumnitatur diffundi, quia scilicet partes aquæ, utpote velocioris motus capaces, fortius a centro sui motus recedere moliuntur: et sicut in magnis vorticibus, quales occurrunt in mari Caspio, si aliquod corpus vertigine complicetur, per multos gyros ad medium vorticis propellitur; ita materia subtilis corpora, in quæ offendit, ad terram, quæ turbinato, sed tardiori motu agitata tenet, velut medium vorticis dejicit.

Tom. II, *Secunda Pars Physicæ*, *De Proprietatibus Corporis Naturalis,* disp. I, *De Motu*, sectio III, *De speciebus motus,* quaestio II, *De motu gravium et levium*, conclusio I, p. 169b-171b

Probatur quinta pars conclusionis contra Cartesium. Corpora gravia descendunt in linea recta et perpendiculari, nisi motu violento ab ea dimoveantur: sed motus ille rectus gravium in hypothesi Cartesiana explicari non potest; eodem namque motu materia subtilis corpora terrestria in terram impellit, quo ipsa recedit a terra: cum enim corpora illa determinationem et motum suum a materia subtili sursum nitente desumant, si recessus materia subtilis a terra obliquus fuerit, non videtur quomodo fieri posset, ut accessus gravium ad terram rectus esset et perpendicularis. Atqui materia subtilis non nisi oblique potest a terra recedere: falsum etenim est principium illud Cartesii unviersaliter sumptum, quod omne corpus circulariter motum a centro mots sui per lineam rectam recedere conetur: quamquam enim illud possit esse verum de corporibus gravibus in medio fluido circumactis cujusmodi est lapis, qui funda circumactus, a centro motus istius circularis per lineam rectam recedit: id tamen omnino falsum videntur de corpore levissimo, qualis est materia subtilis, quæ ex se maxime videtur capax motus circularis: unde si recedat a terra, recedet tantum per motum spiralem, sive per lineas continuas in plures circulos complicatas, quales videntur in vorticis vertigine, cui motum turbinatum terræ et subtilis materiæ comparat ipse Cartesius. Sicut igitur in vortice, sive in aqua motu circulari circumacta, palea et allia corpora heterogenea per lineas spirales ad medium vorticis, ubi est centrum motus, rapiuntur; ita si subtilis materia terram ipsam et omnia circumadjiacentia terræ verset, suo motu circulari concitatissimo, corpora minus levia terram versus, quæ tenet medium vorticis illius, impellet quidem, sed per motum spiralem. *Deinde,* eo modo, inquit Cartesius, materia subtilis a terra repellitur, quo modo | pulvis supra trochum agitatum, aut super rotam velocissime versatam conjectus ab eis resiliendo dispergitur: sed pulsis sic injectus a turbine nunquam recta et perpendiculariter, sed oblique tantum et per latera repellitur, ut familiaris docet experientia; ergo materia subtilis non motu recto, sed obliquo a terra repelletur. Id ipsum probat lapidis funda in circulum ducta projecti exemplum, quo nititur, supra allatum Cartesii principium; licet enim lapis ille solutus a funda, lineam rectam ineat, illa tamen linea non directe respondet centro motus circularis, quo in funda circumactus fuit, quod centrum manus est projicientis, sed respondet directe illi loci puncto, in quo per laxationem fundæ desiit motus circularis, et incepit motus ejus rectus; ac proinde sicut motus lapidis illius non est rectus respectu manus, ita motus sursum materiæ subtilis non erit rectus et perpendicularis respectu centri sui motus circularis, et respectu terræ. *Sicut* ergo cymba a ductore suo non movebitur in Orientem, si pertica, qua impelletur ex parte meridionali, terræ cum nisu applicetur, hoc enim impulsu cymba in Septentrionem potius moveretur; ita materia subtilis per motum suum obliquum aut spiralem, non poterit gravia in terram depellere, nisi obliquo motu, aut spirali.
Verum tantum abest, ut materia subtilis cogere possit corpora graviora ad superiorem locum sibi cedendum, quin potius illa corpora materiam subtilem propellendi vim habere dicenda sunt; ideo enim juxta Cartesii principia, materia subtilis corpora crassiora pellit inferius, quia citatissimo motu agitatur: sed ille motus velocissimus non potest cum tanto impetu in terram detrudere; motus enim rectus, quo materiæ subtilis pars aliqua a terra recedit idem est, ac motus circularis, quo circa terram volvebatur: omnis enim motus, ut docet, est per se rectus, et per accidens tantum obliquus aut circularis, si nempe a nativa sua determinatione impediatur; sed sive rectus sive obliquus fuerit, idem remanet cum eadem quantitate et virtute, atque mutata tantum determinatione: motus ergo circularis, quo subtilis materia circa terram gyrat, easdem habet vires, eundemque impetum ac mots tectus, quo discedit materiæ subtilis pars aliqua a terræ superficie: atqui tota materiæ subtilis moles motu illo suo circulari concitatissimo, ut supponitur fieri ab Occidente in Orientem, non potest arboris solium ne quidem levissime movere, neque lapidem supra cacumen montis in declivium prominentem, aut fere pendulum super præcipitium, ne minimum quidem impellere. *Quis* igitur sibi persuadeat, ut idem motus nova determinatione nihilo factus velocior, possit prægrandem lapidem, ex se levem, et a centro terræ recedere molientem, qualem vult eum esse Cartesius, ad terram cum tanto impetu, si ab ea remotus inveniatur, deprimere? Et sane ut opinio illa defendi posset, dicendum esset materiam subtilem centies millies plus habere impetus et virtutis ad tendendum sursum, quam habeat ad revolutionem suam ab Occidente in Orientem, quod tamen cum ejusdem Cartesii principiis pugnat. Si ergo motus circularis materiæ subtilis

nullum effectum nobis sensibilem producat, quomodo idem motus factus rectus tot effectus sensibiles producet, quot motui gravium et levium tribuuntur? Igitur non materia subtilis sua levitate deorsum lapidem depellit, sed lapis sua gravitate materiam subtilem potius sursum impellit.
Denique, ut prætereamus quod gratis fingit, atque sine ullo fundamento supponit Cartesius, terram et materiam subtilem gyrare continuo ab Occidente in Orientem, manifeste falsum est illud quod obtrudit, nimirum materiam subtilem velocius moveri, quam cætera corpora, ac proinde majorem vim habere ad recedendum a centro et ad alia sibi subjicienda. Id, inquam, falsum est: *Tum,* quia materia subtilis cum sit aliis corporibus immixta, et meatus eorum subeat, porosque impleat, evidens est eam velociori motu ferri non posse aliis corporibus. Verum hoc omisso, quid obesse potest, quominus gravia tanti motus æque capacia sint ac materia subtilis? Num forte illorum gravitas intrinseca? Sed omnem gravitatem positivam tollit Cartesius: an forte illorum densitas? Sed hæc velocitati motuum non repugnat, imo multum condicut ad validiorem impetum sustinendum; hinc majoris motus capax est lapis, quam spongia; plumbum, quam lana, etc.
Deinde, lapis cum tanta velocitate decidit, quanta subtilis materia in locum ejus ascendit: æqualis ergo motus est capax, imo cum omnia corpora sint æqualis levitatis secundum se cum materia subtili; et aliunde major sit illorum soliditas, non solum concludendum erit motum terræ turbinaturm esse æqualem in velocitate vertigini materiæ subtilis circa terram gyrantis; sed insuper inferendum erit solidiora corpora terræ continguæ longius et vehementius a terra projici et prosilire debere, quam materia subtilis; | quia ratione soliditatis sunt capacia fortioris impetus: sicut super rotam velocissime versatam, si injiciantur corpora, quo solidiora erunt, magis resilient, quo molliora minus reflectentur; sic aer tunc leviter repercutitur, et vix pene reflectitur, sed insensibiliter motui rotæ circulari obtemperat, eoque agitatur; aqua vero infusa motum illum non subit, sed rejicitur; non tamen tantum resilit, quantum arena, aut lapides, etc. [...]
Confirmantur ista omnia contra recentes Philosophos. Ubi nulla occurrit causa motus extrinseca, recurrendum est ad principium mobili ipsi innatum: sed causæ extrinsecæ motus gravium et levium a Cartesio, Gassendo, aliisque assignatæ, sunt chimæricæ, ut supra probatum est; nec inveniri potest causa extranea quæ gravia deorsum pellat, et levia a terra rapiat; non quidem pressio aeris incumbentis, ad quam multi jam confugiunt; qua enim ratione pondus et gravitas aeri tribuetur, quod eadem ceteris concedere oportet. *Adde,* quod major et minor gravitas corporum explicari sic non potest; nec dici potest cur lamina plumbea velocius pluma descenderet. Deinde, si aer adeo sit ponderosus, ut sit gravior lapide, cur hunc lapidem ex se non gravitantem non potius impellit sursum, ut ejus loco in infima, quæ sunt gravioribus priora, sese demittat? *Insuper* si lapis ex se non sit gravis, unde fit ut eum, si sit grandior, humeris ferre non possimus? unde illi tantum pondus accedit?

Tom. II, *Secunda Pars Physicæ*, *De Proprietatibus Corporis Naturalis,* disp. I, *De Motu*, sectio III, *De speciebus motus,* quaestio II, *De motu gravium et levium*, conclusio II, p. 173b-176b

Resp. gravitatem et levitatem reduci posse ad secundas qualitates, nec propterea in ipsis requiri complexionem omnium primarum qualitatum, sed duntaxat aliquarum; nam ex frigore et siccitate, mediante densitate, oritur summa gravitas in terra; levitas vero summa in igne ex calore et siccitate, mediante raritate, ut declarabimus dum erit sermo de elementis. *Ex* his apparet quid vero similius sentiendum sit cum nobilioris notæ Philosophis de motu corporum gravium et levium: utrum | autem revera aliqua corpora ex se et positive gravia sint aut levia, jam statuendum est. Sunt enim qui cum Gassendo sentiunt, omnia corpora gravia esse, ita tamen ut alia aliis graviora admittant; sic terra aquam, aqua aerem, aere ignem minus tantum gravem existimant. Alii cum Cartesio volunt omnia levia esse, et hoc tantum interesse discriminis inter elementa, ut alia aliis leviora sint. Quid autem verius sentiendum sit, ut appareat:
Queres 1. *Utrum mixtorum et elementorum alia sint positive gravia, et alia positive levia.*
[...] | [...] *Hanc* ab omnibus Philosophis Peripateticis pridem receptam doctrinam rident et impugnant Novatores quidam; imprimis vero Cartesius, qui causam motus elateriorum censet petendam esse a materia subtili, existimatque arcus tensi, v. gr. meatus in superficie convexa ampliari, in concava autem arctari; atque hinc subtilis materiæ partes majusculas tanquam totidem cuneos facile subire per apertiores poros convexæ superficiei; frustra vero eniti sibe parare exitum per arctiores superficiei concavæ poros, quandiu per externam vim arcus tenditur: at vero hac vi remota et eo sublato obice cælestis ac subtilis illa substantia illico meatus occlusos solvit et dilatando poros superficiei concavæ latera ejus distendit, arcumque priori statui restituit.
Verum, commentum istud prorsus inane demonstrant plura, quæ ex eo emergunt absurda. *Primo* quidem materia subtilis Cartesii quamlibet figuram facile induit, et meatus angustiores sine violentia subit et penetrat;

transibit igitur per poros superficiei concavæ, licet arctati sint; nec poterit vim et impetum facere, quibus meatus obstrusos aperiendo, arcum distendat, et pristinæ figuræ suæ restituat.
Secundo. Arcus tensus in quocunque situ constituatur, eandem habet vim sese restituendi; sed in sententia Cartesii vim illam non servaret in quocunque situ, puta si ita collocaretur, ut pars ejus concava Occidentem, convexa Orientem respiceret; vel ita ut concavitas terram versus, convexitas in Cælum posita esset, ut fit quando scopus in quem sagitta arcu vibratur, ad Orientem vel sursum est: etenim in tali situ arcum positum materia subtilis non ita movebit, ut vim elasticam ipsi tribuat; motus | enim materiæ subtilis fit tantum vel ab Oriente in Occidentem, vel a terra sursum per lineam rectam et perpendicularem, ita ille Philsophus. Materia subtilis igitur tunc incurret primum in poros concavæ superficiei arcus, et cum meatus illi longe sint angustiores poris superficiei convexæ, partes materiæ subtilis, quæ per anteriores poros, tensione arcus arctatos subiere, longe facilius per meatus posteriores egredientur; cum igitur laxiorem inveniant exitum, quam aditum, non poterunt cuneorum instar, per apertiores meatus ingressi alios arctiores aperire, contrarium enim contingit, ut evidenter patet in exemplis propositis.
Tertio. Meatus partium concavarum arcus aperiri aut extendendi nequeunt, quin arctentur aut occludantur pori convexarum partium: quo magis enim curvatur arcus, eo major fit ejus convexitas, et concavitas minor, et vicissim cum arcus distenditur, ampliatur concavitas, et restringitur convexitas, quod intelligi nequit, etiam juxta Cartesium, nisi per dilatationem et coarctationem meatuum partibus arcus interceptorum: Atqui materia subtilis majores et minores arcus poros subien et penetrans, tantum impedit majorem meatuum restrictionem, quantum nititur ad arctiorem extensionem, ut patet exemplo cunei, qui partes interiores divellando, exteriores non conjungit, sed eo magis a se mutuo removet, quo altius in lignum infigitur: ergo si materia subtilis non possit dilatare poros concavitatis, nisi constringat poros convexitatis; si nequeat, inquam, exitum sibi parare, nisi aditum sibi obstruendo, arcum tensum eo in statu relinquet: quærenda est igitur alia causa qua distendatur.
Ultimo tandem opinio Cartesii duplici suppositione nititur fallacissima. Prima est poros corporum vi elastica præditorum rectos esse, et ab una superficie ad alteram, rectam semitam materiæ subtili parare; si enim meatus illorum corporum curvi essent et tortuosi, materia subtilis eos subeundo virtutem illos dilatandi amitteret; attamen inter corpora vix unum occurrit, quod partes ita dispositas habeat, ut liberos rectosque meatus materiæ subtili relinquat, et si quod foret hujusmodi corpus, non sane lignum cujus partes complicatæ et per modum filaminum intextæ poros flexuosos et curvos relinquunt, sed forte vitrum est ejusmodi: attamen lignum multa vi elastica, vitrum nullo elaterio donatum est. Alteraa suppositio est materiam subtilem virtutem ita intensam habere, penetrando corpora, ut possit ea elateria restituere, quibus a statu et figura sua naturali dimovendis, totum hominis robur non sufficit: sed quomodo tantam vim in dilatandis poris compressis habebunt partes materiæ in illis insertæ, si quæ unitæ de pleno suo impetu nequidem plumæ, aut lanæ filamina movere possunt? Adde quod Cartesius rationem reddere non potest, cur arcus diu tensus manens, vum elasticam amittat: si dixerit enim materiam subtilem successu temporis poros superficiei concavæ obstrusos aperire, et arctatos dilatare; tunc fateatur necesse est poros superficiei concavæ æquales esse poris superficiei convexæ: quomodo igitur tunc expicabit; qua ratione convexitas maneat major, quam concavitas?
Gassendus aliam quidem, sed æque incertam et a *vero* abberantem viam init, dicens motum elasticum repeti ab illo, in quod impelluntur corpora elastica; et a quo resiliunt: verum motus elasticus non semper est reflexus; tunc enim tantum motus censetur proprie reflexus, cum corpus impulsum cum impetu ab alio occurrente repellitur, alias quantumvis fustem contra murum premam, sine impresso ipsi ex aliqua distantia impetu, non reflectetur, licet forte pressione curvatus sese restituat: vis autem elastica motum producit in corpore cui inest, non solum cum illud graviter impingit in aliud, a quo resilit, sed etiam cum flectitur, ut ramus arboris; vel premitur, ut folliculus; vel extenditur, ut contingit in corio, quod manibus protractum, ultra longitudinem suam naturalem, sese postmodum colligit. Corpus denique elasticum, quoquo modo a figura sua dimoveatur, in eam sese restituit, nisi fuerit aliquis obex. Male ergo confunditur causa motus elastici cum causa motus reflexi.

Tom. II, *Secunda Pars Physicæ*, *De Proprietatibus Corporis Naturalis,* disp. I, *De Motu*, art. 3, *De Motu ad Qualitatem,* quaestio II, *An, quid, quotuplex, et qualis sit Quies*, p. 212ab

Notandum 1. Quietem sumi posse dupliciter 1. Pro actu quo appetitus sensitivus aut rationalis sibi complacet in fruitione boni adepti atque possessi; sic voluntas Beatorum quiescere dicitur in Deo possesso per visionem et per amorem. At hæc acceptio non est propria, sed metaphorica. 2. Quies proprie sumitur per oppositionem ad motum, et ideo dicitur privatio motus, seu permanentia rei in suo statu per motum acquisito.
Notandum 2. quietem existere nulli sensu et ratione prædito dubium esse. Ejus enim existentia colligi potest ex motu naturali, qui tendit ad quietem, ut patet ex motu lapidis; cum enim deorsum fertur, non alia lege

movetur, quam ut acquirat statum sibi naturalem, et in illo quiescat, sic et cætera agentia omnia agere propter quietem manifestum est.
Notand. 3. quatuor præcipuas quietis definitiones vulgo afferri. 1. Definitur a nonnullis, *constans corporis æqualis cum æquali contactus*. 2. A recentioribus Philosophis Cartesianis dico, quies asseritur esse *modus corporis positivus, cujus ab initio certa quantitas sicut et motus a Deo producta fuit, quæ semper perseverat, et ad quam tantum actionis et conatus requiritur, quantum ad motum.* 3. Quies negative sumpta dicitur *privatio motus*: hinc illud dicitur quiescere quod non movetur. 4. Tandem sumpta positive, definitur *permanentia rei in suo statu,* sive status ille sit naturalis, ut cum lapis dicitur quiescere inc entro, sive status ille sit violentus, ut cum pila filo suspensa quiescere dicitur. Quæ autem ex his definitionibus sit accuratior et veritati magis consona, aperiet.

Tom. II, *Secunda Pars Physicæ*, *De Proprietatibus Corporis Naturalis,* disp. I, *De Motu*, art. 3, *De Motu ad Qualitatem,* quaestio II, *An, quid, quotuplex, et qualis sit Quies,* conclusio I, p. 212b-213b

Quies accurate et proprie definitur privatio motus. Hæc definitio, quæ satis patet ex terminis, confirmari potest ex aliarum supra allatarum discussione et refutatione.
1. Quies non recte definitur constans corporis æqualis ab æquali contactus: *Tum,* quia hæc definitio non est generalis et non convenit omni quieti, sed tantum quieti sumptæ per respectum ad motum localem. *Tum,* quia hæc definitio non est generalis et non convenit omni quieti, sed tantum quieti sumptæ per respectum ad motum localem. *Tum*, quia non bene etiam explicat quietem sic acceptam: quies enim, ut opponitur motui locali, infert essentialiter negationem motus localis, ista vero definitio cum motu locali non pugnat, potest enim esse constans corporis æqualis cum æquali contactus, simul cum motu locali: sic lignum quod aquæ decurrenti immersum est, et eodem motu quo aqua ipsa fertur, easdem aquæ partes tangit, nec tamen per se movetur localiter sicut aqua, quia eandem retinet superficiem. *Tum*, quia corpus etiam in motu nunquam, nisi a corpore æquali tangitur. *Tum* demum, quia turris excelsa quiescit; constanter tamen eundem aerem non tangit; flante enim vento movetur aer circa ipsam.
2. Definitio Cartesii nullatenus veritati concordat. *Tum,* quia supponit absque ullo fundamento quietem esse modum corporis positivum. *Tum,* quia supponit certam quantitatem quietis initio mundi fuisse a Deo productam quæ eadem semper perseverat, nec augetur nec minuitur. *Tum,* quia addit tantum actionis requiri ad quietem quantum ad motum, quæ sane absurda sunt. Siquidem vel modus ille positivus est intrinsecus corpori, et ab eo inseparabilis, vel est extrinsecus: si primum, ergo omnia in perpetua quiete | permanebunt. Si secundum, ergo datur motus et accidens aliquod distinctum a corpore: illa enim distinguuntur realiter quorum unum sine altero esse potest. *Deinde,* necessaria esset aliqua causa extrinseca quæ quietem in corpore, quod moveretur, produceret; at nulla hujusmodi causa est; ex quo enim definit impetus impressus lapidi projecto, lapis quiescet absque ulla actione quietis productiva; unde si lapis in vacuo projiceretur, motus ille non esset perpetuus, sed eo desinente lapis quiesceret absque ulla causa quietis illius productiva: ergo quies non est aliquid positivum, quod indigeat produci ab aliqua causa.
3. Intelligi non potest quomodo certa quietis quantitas a Deo fuerit producta initio mundi quæ adhuc perseveret. Vel enim perseverat in iisdem corporibus, in quibus producta fuit, vel ab uno corpore transit in aliud, sed neutrum dici potest. Experientia enim constat aliqua corpora modo quiescere, modo moveri: ergo quies semper in iisdem subjectis non perseverat. Pariter transire non potest ab uno corpore in aliud, quia cum quies non sit entitas distincta a corpore in quo est secundum Cartesium, sed sit tantum modus ejus qui sine ipsa nec concipi nec existere potest, repugnat, ut separetur ab illo, et transeat in aliud.
Ultima tandem definitio, quæ quietem explicat per aliquid positivum, aliis non est accuratior, si per quietem intelligatur aliquid positivum et realiter distinctum superadditum corpori quiescenti; non enim sunt admittenda entia positiva sine necessitate; sed nulla est necessitas illud positivum superadditum admittendi, quies enim perfecte intelligitur per privationem motus; si tamen nihil aliud intelligatur per permanentiam rei in suo statu, quam continuata rei existentia sine ulla mutatione, tunc illa definitio cum nostra coincidet.

Tom. II, *Secunda Pars Physicæ*, *De Proprietatibus Corporis Naturalis,* disp. II, *De Continuo*, sectio I, *De partibus Continui,* quaestio II, *Utrum Continuum constet ex partibus divisibilibus, an indivisibilibus,* conclusio III, p. 220b-221a

Cartesius, ut suam proderet inscitiam, aut aliquod innovandi libidinem, tametsi in rei veritate non plurimum distet a communiter recepta hac nostra apud Philosophos sententia, nihilominus aliis verbis eam expicat dicendo magnitudinem, quam cum materia et corpore confundit, esse divisibilem indefinite. Quid vero hac voce, *indefinite,* significare voluerit, distincte non explicat, nisi forte velit magnitudinem esse divisibilem in tot partes ut earum numerus nos lateat, quia multa definire non possumus, tametsi revera ex se et in se definita sint: sic definire non possumus, an arenulæ quæ sunt in littore maris, et per camporum et montium spatia disperguntur, sint numero pares vel impares, licet hoc ex se definitum sit, atque a Deo distincte cognitum. Quo sensu si dixerit continui partes esse divisibiles, non video quid novi proferat; ultro namque et libenter fatemur continuum in tot partes esse divisibile, ut illæ captum nostrum effugiant. Si vero per vocem *indefinite* significet magnitudinem esse divisibilem finite, vel infinite, nihil ingerit quod alienum sit ab aliorum Philosophorum sententia.
Addit. Magnitudinem ita dividi, ut quælibet illius pars per occursum aliarum partium ulterius dividi possit, in quibus vix etiam secum et cum aliis Philosophis concordat; nam secundum Cartesium et rei veritatem, dum lac rarefit in ipsius poros subeunt corpuscula quædam: tum enim ignis vi caloris poros lactis dilatat et partes lactis calefactæ dividuntur, ut præbeant locum corporibus in eas ingressuris: at non omnes lactis partes rarefiunt, et sic non omnes dividuntur, licet omnes calefiant, alioquin longe majus spatium occuparent, quam illud quod occupant, si revera rarefierent omnes; ac subinde | sunt aliquæ partes ita tenues et compactæ, ut naturaliter non possint dividi per occursum aliarum partium; proindeque minus recte ait Cartesius magnitudinem esse ita divisibilem, ut quælibet illius pars per occursum aliarum partium ulterius possit dividi. *Deinde*, nullatenus concipi potest quomodo partes *materiæ subtilis Cartesii*, cum sint tenuissimæ atque durissimæ, cumque nullos intercipiant poros, possint adhuc per alia corpora, vel per se mutuo comminui, et quomodo hac comminutione ab initio mundi perseverante, partes illæ subtilissimæ ad talem exilitatem et parvitatem redactæ non sint, ut amplius frangi nequeant.

Tom. II, *Secunda Pars Physicæ*, *De Proprietatibus Corporis Naturalis,* disp. II, *De Continuo*, sectio III, *De Loco et Vacuo,* quaestio III, *An dari possit Vacuum, et qualiter*, p. 236ab.

Notand. 3. Circa præsentis quæstionis resolutionem tres præcipue este auctorum sentias. *Prima* est *Gassendi* agnoscentis in rerum natura aliquod vacuum disseminatum, seu interceptum inter atomos diversæ figuræ, ex quibus cum Epicuro putat corpora omnia constare. *Secunda* est *Cartesii* ejusque sequacium, contendentium non solum nullum vacuum existere, sive intra, sive extra mudnum, sed nec etiam divinitus esse possibile. Docet enim 2. parte art. II. spatium et locum idem esse cum substantia rerum corporearum quas claudit; putat enim materiam et substantiam rerum nihil aliud esse, quam earum extensionem: quamobrem cum spatium non possit concipi, nisi ad modum alicujus extensionis, hinc distincte affirmat art. 16. extensionem cujuslibet spatii esse realem, et quodlibet spatium esse substantiam. Hinc art. 21. et 22. Concludit mundum esse infinitum, et spatia quæ extra cœlos in infinitum imaginamur, esse revera realia, idcirco plures mundos esse omnino impossibiles. At audacis magistri audacior discipulus *Rohault* cum dixisset cap. 5. art. 3. impossibile esse ut aliquid fiat ex nihilo, aut quod nihil eveniat aliquid, alioqui nihil haberet aliquas proprietates, quod est impossibile: adjecissetque 5. nullam rem posse annihilari, quia concipi non potest, quomodo transire posset ab esse ad non esse. Et præterea, cap. 7. art. 10. addidisse extensionem ita rebus esse essentialem, et independentem ab omni ente creato, ut nulla res, imo illud nihil quod ante mundi creationem fingimus, non possit sine ea apprehendi, unde sequitur illam non esse accidens aut proprietatem entis, sed veram substantiam, concludit cap. 7. art. 1. vacuum a plurimis Philosophis assertum esse omnino impossibile, quia per vacuum intelligunt spatium sine ullo corpore et materia; cum tamen spatium, extensio et materia idem sint omnino, nec unum sine altero existere possit, imo nec concipi juxta nostra principia. Quæ temerararia doctrina quam erronea sit et periculosa, infra demonstrabimus. *Tertia* tandem sententia est communis Peripateticorum, docentium nullum sive intra, sive extra mundum esse vacuum reale, nec illud naturæ viribus, sed sola virtute divina posse induci, quod ut appareat, sit.

Tom. II, *Secunda Pars Physicæ*, *De Proprietatibus Corporis Naturalis,* disp. II, *De Continuo*, sectio III, *De Loco et Vacuo,* quaestio III, *An dari possit Vacuum, et qualiter*, conclusio I, p. 236b-237b.

Revera dantur spatia extra hujus mundi ambitum, non positiva, sed negativa.

Probatur. Illa spatia revera sunt admittenda, in quibus novæ creaturæ possunt a Deo produci: sed extra hujus mundi ambitum creaturæ produci possunt a Deo: igitur etc. *Major constat*, nec eam inficiantur Cartesiani: *minor* vero, quam ipsi obfirmata fronte et erroneo sensu pernegant, probatur. Non minus potest Deus creaturas aliquas extra hujus mundi ambitum producere in illo spatio quod mente concipimus, quam potuerit hunc mundum concedere in illis spatiis, quæ ante rerum omnium creationem fuisse apprehendimus: sed Deus revera hunc mundum condidit in illis spatiis, quæ non positive quidem, sed negative erant capacia, seu importabant non repugnantiam ad excipiendam hanc mundi structuram et molem; igitur etc. *Minor est evidens.* Constat enim universum hunc mundum fuisse a Deo conditum et occupare spatium quod antea nullo repletum erat corpore; alioqui corpora illa debuissent alio ejici et propulsari, ut mundo de novo creato locum cederent, vel omnino annihilari; vel necessum fuisset fieri dimensionum penetrationem, ut corpora de novo producta cum ipsis consisterent. Porro nullam ex his consequentiis admittere possunt Cartesiani, neque ullus Philosophus sanæ mentis eas illationes probabit, qui nec spatium extra mundum, nec corporum penetrationem, nec rerum annihilationem possibilem admittit. Majorem inficiari non potest ullus fidelis et Catholicus, neque enim est abbreviata manus Domini, nec divina ejus potentia exhausta in hujus mundi productione, quippe cum sit finitæ entitatis et perfectionis, nec adæquare possit divinam fœcunditatem quæ omnino infinita est, nullosque habere potest præfixos terminos in creaturis producendis: igitur qua facilitate et pro nutu suæ voluntatis hunc mundum condidit, potest et alterum effingere.

Reponunt Cartesiani, 1. hunc mundum illimitatum esse et infinitum, ac proinde | omnia, quæ mente apprehendi possunt spatia, jam ab illo occupari, ac subinde nulla esse spatia ab altero mundo occupanda.

Contra. Talis est hujus mundi complexio, qualia sunt ea quæ suo ambitu complectuntur: at omnia quæ mundus suo sinu complectitur finita sunt et limitata; igitur ipse finitus est et limitatus. *Major* est evidens, a divisis enim ad conjuncta valet consequentia in prædicatis intrinsecis, et quæ rebus necessario conveniunt: sicut enim optime colligitur mundum esse creatum a Deo, quia nihil est in tota mundi machina quod non fuit ab ipso productum, ita inferri licet universam mundi structuram esse finitam, quia omnes, quas involvit creaturas, sunt finitæ et limitatæ: igitur falsum est hunc mundum diffundi per omne spatium quod mente cogitari potest.

Reponunt 2. Spatium omne non posse concipi sine extensione, nec extensionem sine materia, quæ nihil aliud est quam ipsa extensio, nec materiam sine corpore, quod necessario constat triplici dimensione: igitur quando concipimus spatium, necessum est quod concipiamus corpus; ac subinde nullum possumus apprehendere spatium extra mundum, et quod jam non sit aliquo corpore occupatum.

Contra. Primo falsum est materiam nihil aliud esse quam extensionem, nec corpus aliquid aliud præter trinam dimensionem, ut jam pluries a nobis demonstratum est. *Deinde,* etiam aperte falsum est spatium idem esse cum re in ipso collocata, ut gratis supponunt, nullo vero argumento probant Cartesiani; enim vero spatium est omnino immobile, res vero locata mobilis est; siquidem est de ratione corporis mobilis ut ab uno spatio immobili transeat ad aliud: igitur spatium non est idem cum re quam claudit. *Præterea*, revera concipimus mundum hunc conditum esse in aliquo spatio, a nullo antea corpore occupato: igitur concipi potest spatium, et esse absque extensione reali et corpore.

Reponent fortassis, ut jam in tertio notabili præmonuimus, equidem concipi posse aliquod fuisse spatium ante mundi creationem, sed inquiunt, cum illud apprehendi non possit, nisi per modum extensionis alicujus, etiam nec per modum extensionis alicujus, etiam nec concipi potest sine materia, quia extensio, materia et spatium idem omnino sunt.

Contra. Si hæc ita essent, sequeretur ante mundi creationem rem aliquam realem a Deo essentialiter distinctam, nimirum materiam illam Cartesianam extitisse; ac subinde illam esse æternam, et omnino a Deo independentem. Vel enim illa esset producta vel non: primum non admittent Cartesiani, alioqui spatium illud quod concipimus ante mundum conditum extitisse, quodque illi asserunt idem esse cum materia et substantia, debuisset in alio spatio formari, et sic recurret eadem difficultas, et fiet processus in infinitum: si secundum admiserint, sequitur illam materiam esse independentem a Deo; sequitur insuper, mundum hunc ex nihilo non processisse quippe cum jam illius formationem præcessisset spatium illud et ipsa materia Cartesiana, quæ omnes et aliæ similes consequentiæ omnino sunt erroneæ et hæreticæ: igitur necesse est aut falsam et erroneam suam doctrinam, aut Fidem Catholicam Cartesiani ejurent.

Ex his itaque inferre licet admittenda esse spatia aliqua extra mundum, non quidem realia positive, sed negative, quæ videlicet nihil aliud sunt, quam capacitas quædam possibilis, seu non repugnantia ad excipienda corpora, quæ Deus extra hunc mundi ambitum producere potest, si vellet, ac subinde admittere licet vacuum illud negativum interminatum et indefinitum, de quo nulla debet esse controversia apud Philosophos; quippe cum de solo vacuo terminaato sit apud illos contentio, utrum virtute naturæ illud induci possit, an vero, virtute divina; quamobrem sit.

Tom. III, *Tertia Pars Physicæ*, *De Speciebus Corporis Naturalis,* sect. prima, *De Causa Efficiente,* quæstio communis, *Quid et qualis sit Causa Efficiens,* conclusio II, p. 3b-5a

Dices 3. cum Cartesianis. Deus efficere non potest, quod manifestam contradictionem involvit: sed plures esse mundos aperte contradictionem involvit: sed plures esse mundos aperte contradictorium est. Probatur *primo*; quia mundus est τό πάν seu rerum creatarum universitas; at duas esse rerum universitates contradictiorie pugnat: una enim involveret quidquid alia complectitur, et sic non essent distinctæ: aut non involveret, et sic neutra esset rerum omnium universitas. *Secundo,* si duo aut plures essent mundi, aut essent contigui et intime conjuncti, aut ab invicem dissiti ; sicque inter ipsos spatium intercereeret, vel non: at neutrum potest affirmari; si enim essent conjuncti absque ullo medio interjacente spatio, non erunt duo, sed unicus mundus, nam inter quæ nihil intercedit, illa non sunt distincta. Si vero aliquod medium intersit, illud necessario erit aliquod spatium reale, ac subinde corpus extensum | quod utrumque mundum reali fœdere conjunget, ac subinde etiam non erunt duo, sed unicus mundus. Sicut cœlum et terra tametsi maximo intervallo invicem distent, duos tamen mundos non efficiunt, quoniam medio aere, atque etiam ut nonnulli volunt, ignis elemento fœderantur: igitur fieri non potest ut plures sint mundi.

Resp. 1. Cartesianos perperam majorem propositionem, velut certum, uti revera est, effatum nobis obstrudere, quippe cum audaciter et absque ulla ratione eorum nonnulli pronunciant Deum posse etiam ea quæ nobis videntur contradictoria efficere: plura enim, inquiunt, potest Deus, quam quæ intelligere valeamus, neque nostrum sit figere limites divinæ potentiæ, unde Cartesius ipse *pag.* 542. ait *Deum efficere posse, ut bis quatuor non faciant octo, quia nihil est ipsi impossibile.*

Verum admissa maj. Nego min. et ad primam ejus probat. Dico mundum quidem dici universalitatem rerum creatarum, non autem creandarum aut creabilium; adeo ut mundus denotet, non quidem omne universum simpliciter, tam actuale quam possibile, sed duntaxat hoc universum jam conditum: eo tamen sensu, ut non excludatur aliud universum creabile aut creandum.

Ad secundum dico, mundos ipsos, etsi nullum inter eos intercederet spatium, fore sufficienter distinctos per propriam suam unitatem et entitatem; etsi enim illi mundi essent figuræ rotundæ, et se invicem contingeret in puncto, suis tamen satis determinarentur limitibus et circumferentiis; quemadmodum duo lapides arctissime contigui suis propriis circumferentiis distincti sunt, atque revera duo lapides censetur.

Urgent Cartesiani, alius mundus non est possibilis, si nullum possibile sit spatium in quo recipiatur: at ita est: igitur etc. *Major constat*; Quia mundus existere non potest quin sit aliquid, ac subinde quin spatium aliquod occupet: neque enim potest esse, et esse nullibi. *Min. Probat Cartesius* 2. *princip. art.* 21. 22. Præter spatium ab hoc mundo occupatum nullum aliud est possibile, quia mundus jam existens nullo habet suæ extensionis fines, nec aliquod fingi potest spatium ad quod mundi hujus partes non protendantur. *Cognoscimus,* inquit Cartesius, *hunc mundum sive substantiæ corporeæ universitatem, nullos extensionis suæ fines habere. Ubicunque enim limites illos fingamus, semper ultra ipsos aliqua spatia indefinite extensa, non modo imaginamur, sed etiam vere imaginabilia, hoc est realia esse percipimus; ac proinde etiam substantiam corpoream indefinite extensam in iis contineri, quia, ut jam fuse ostensum est, idea ejus extensionis, quam in spatio qualicunque concipimus, eadem plane est cum idea substantiæ.*

Resp. 1. *neg. maj.* maxime eo sensu quo spatium intelligunt Cartesiani, asserentes illud esse veram extensionem, adeoque verum esse corpus et consequenter cohærere cum hoc mundo; exinde enim, ut alias notavimus, sequeretur mundum fuisse ab æterno, adeoque ex nihilo creari non potuisse; nam illud spatium, sive capacitas in qua mundus jam actu continetur, non potuit non fuisse ante mundi creationem ab æterno; illud enim quod jam actu capit mundum, capax erat illud recipiendi, si ab æterno creari potuisset, adeoque si illud spatium sit corpus et reale, ante mundum conditum jam erat corpus, igitur illud non fuit formatum ex nihilo et in nihilo. Sequeretur pariter mundum non posse annihilari; non possent enim ad nihilum reduci omnia corpora, quæ jam existunt in mundo, quin supersit illud spatium in quo illa jam existunt; illud enim quod jam mundum actu capit, posset etiam eundem annihilatum capere, si reproduceretur, ista autem potentia capiendi et complectendi corpus, constituit naturam spatii; si igitur mundo annihilato istud spatium remanens, sit revera extensum, adeoque corpus, tum utique necessum est mundum non posse annihilari. Plures ejusmodi absurdæ et erroneæ consequentiæ ex illa Cartesiana propositione emergunt. Itaque Cartesiani stolide et erronee confundunt spatium cum eo quod spatio continetur, locum cum locato, continens cum contento, unde quæ locato et contento proprie competit, extensionem, spatio continenti tribuunt, asserendo omne spatium quod extensum corpus continet, necessario etiam debere esse corpus extensum: quæ tametsi vera sint de spatio reali mundi partes complectente, attamen reali mundi partes compelctente, attamen falsa sunt de illo spatio, quod extra cœlum nobis imaginamur, et in quo tota hujus mundi machina consistit.

Nego pariter. min. Quia si mundus nullos haberet suæ extensionis fines, sequeretur illum esse revera infinitum. *Primo,* quia quodcunque ita est *ubique*, ut nullum, *ubi,* nullum spatium ne imaginari quidem possit cui non coexistat, id est *actu infinitum*. Infinitas enim præsentiæ divinæ, quæ ubiquitas, immenstas et omnipræsentia alias appellatur, nihil est aliud quam attributum ejus tale, per quod omni ubi vel imaginabili coexistat: atqui mundus ex mente Cartesianorum ita est ubique, ut nullum spatium | fingi possit cui non existat; ergo ex mente Cartesianorum mundus *actu est infinitus.*
Deinde, quodcunque adæquate statuitur coexistere infinito, id etiam statuitur esse *actu infinitum*; sed mundus ex mente Cartesianorum statuitur *adæquate* coexistere essentiæ divinæ *actu infinitæ*; ergo a Cartesianis statuitur actu infinitus. *Insuper,* quod nullam habet figuram, illud revera debet esse infinitum; ex terminis enim quantumcunque protensis, dummodo finitis, non potest non resultare certa aliqua figura: sed in eo, quod non habet extensionis suæ terminos, non potest agnosci aliqua figura cum illa resultet ex diversa terminatione quantitatis: igitur etc.
Denique, finitum et infinitum ita contradictorie pugnant, ut de entibus simul vere nequeant affirmari aut negari: igitur cum Cartesiani negent mundum esse finitum, eo ipso necessum est ut illud infinitum pronuncient: quod enim *infiniti,* loco substituant vocem *indefiniti*, ea ratione faciunt ut aliquod errori suo effugium parent. *Porro* contradictorium est mundum esse infinitum; *tum*, quia mundus est corpus: sed nullum corpus potest esse infinitum, nam hujus corporis partes essent finitæ vel infinitæ: at nequeunt esse infinitæ, sic enim totum non esset majus sua parte; quia infinitum infinito majus esse non potest: neque etiam finitæ, quia sic non possent constituere totum actu infinitum, finitis enim omnibus istis partibus, ipsum quoque totum necessario finiretur. *Tum*, quia si mundus esset infinitus, nihil perfectionis ipsi a Deo posset adjici, infinito enim nihil potest accedere: at absurdum consequens; ergo et antecedens.

Tom. III, *Tertia Pars Physicæ*, *De Speciebus Corporis Naturalis,* disp. I, *De Corpore simplici*, sect. I, *De Corpore Cælesti*, § XII, *Copernicum systema auctoritate Scripturæ Sacræ proscribitur*, p. 34a-35a

Reponunt Cartesian, hunc textum prorsus esse metaphoricum, quippe cum Sol proprie loquendo nec ortus nec occasus possit attribui, nam juxta Ptolemaicum systema Sol movetur in circulo, in quo nulla pars altera humilior est, altiorve; æque enim omnes a centro sunt remotæ: æque enim omnes a centro sunt remotæ: *oriri* autem est e planitie in altum tolli vel assurgere; igitur ista secundum apparentiam et metaphorice dicta sunt.
Res. Equidem hic esset omnino ridiculi et absurda, si nullus Soli motus conveniret, ut diferre textus verba indigitant. Neque remoram facit Cartesiana responsio: *Oriri* enim et *occidere* tribuitur Soli respectu locorum et horizontis; dicitur enim oriri, cum se conspicuum exhibet supra horizontem; occidere vero, cum se occultat sub horizonte: igitur utrumque proprie Soli tribuitur. *His* accedit oraculum Ecclesiastis, dicentis c. 1. *Oritur Sol et occidit, et ad locum suum revertitur; ibique renascens, gyrat per merdiem lustrans unviersa in circuitu pergit spiritus, et in circulo suo revertitur.* Ubi sapientissimus Rex Salomon distincte pronunciat Solem moveri continuo, et circuitum agere, ut mundum universum suo lumine perfundat, et benefico influxu recreat.
Reponunt Copernicei, Salomon ista dixisse, non secundum rei veritatem, quam ipse noverat, sed juxta apparentiam et vulgi existimationem.
Contra. In toto hoc capite, non tam Prophetam, quam Physicum et Philosophum agit Salomon, ait enim v. 12 *Ego Ecclesiastes fui Rex Israel in Jerusalem, et proposui in animo quærere, et investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub Sole.* Quamobrem rerum generationem et corruptionem naturalem ventos, flumina, et mare, eorumque fluxum et refluxum, atque etiam hominum labores et occupationes, ibidem discutit, et concludit, *cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone.* Ex quibus sic argumentari licet: qualiter Salomon agit de rerum naturalium generatione et corruptione de ventis, mare, fluminibus etc. taliter etiam agit de Solis motu: At de illis naturaliter et physice disputat: igitur similiter physice et naturaliter Solis motum et circuitum enarrat; tametsi eam demum notitiam physicam moralibus applicet, cum ex contemplatione corporum naturalium mentem suam reflectit ad hominis eruditionem, dicens v. 14. *Vidi cuncta quæ fiunt sub Sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus.* Quin etiam adjicit sapientiam ipsam, prudentiam et scientiam per accidens vanitati subjacere: *Quod,* inquit, *in his quoque fit labor et afflictio spiritus, eo quod in multa sapientia multa fit indignatio, et qui addit scientiam, addit et laborem.* Vides igitur qualiter hic Salomon Philosophum se exhibeat, physicam rerum naturalium notitiam ad moralem hominum informationem et eruditionem traducendo.
Ex his omnibus et plurimis aliis eundem in finem conspirantibus Scripturæ textibus inferre licet merito jure Copernicanum systema auctoritate Summi Pontificis Urbani VIII. fuisse proscriptum, tanquam Scripturæ sacræ contrarium, et repugnans; non habent igitur Copernicei, unde plurimum sibi | de suo dogmate glorientur,

si catholice sapiant: At neque etiam si philosophice, enim vero omnes quas ipsis proferunt ratones in confirmationem sui dogmatis nullo negotio dissolvuntur.

Tom. III, *Tertia Pars Physicæ*, *De Speciebus Corporis Naturalis,* disp. I, *De Corpore simplici*, sect. I, *De Corpore Cælesti*, § XIII, *Referuntur et solvuntur rationes et fundamenta Copernicanorum*, p. 35b

Reponent haud dubie Cartesiani cum Burmanno in Synops. Theol. l. 1. c. 41. in orbibus planetariis, præsertim vero Luna, probabile esse dari montes, valles, fluvios, plantas, arbores, atque etiam homines, ut adjicit Vvittichius in appendice ad Theol. pacif. q. 29.

Tom. III, *Tertia Pars Physicæ*, *De Speciebus Corporis Naturalis,* disp. I, *De Corpore simplici*, sect. I, *De Corpore Cælesti*, § XXV. *De Astrorum Luce ac Lumine*, p. 51a.

Secundam sententiam aperuit Cartesius, dicens lumen nil aliud esse, quam subtilis materiæ suppressionem factam a corpore lucido, et ad oculos directam, ac in ipsis receptam. Quoniam vero refragari non potest lucem omnem potissimum a Sole, veluti inexhausto limnis fonte promanare, ut ipsius diffusionem et virtutem explicet, fingit subtilis et ætheræ substantiae particularis per aerem esse disseminatas, quarum quæ sunt Soli contiguæ ipsius continua circa proprium axem gyratione et revolutione comprimuntur, et hac sua compressione alias deinde particulas, et hæ rursus alias agitant propter earum ad invicem juxta positionem: unde fit illæ subtilioris materiæ particulæ sic impulsæ, oculorum aciem et organum pertingentes sensationem illam efficiant, quam visionem appellamus.

Tom. III, *Tertia Pars Physicæ*, *De Speciebus Corporis Naturalis,* disp. I, *De Corpore simplici*, sect. I, *De Corpore Cælesti*, § XXVI. *Refellitur Cartesii de Luce sententia*, p. 51a-52a.

Lux fieri nequit per compressionem materiæ subtilis a corpore lucido ad oculum directæ.
Prob. 1. Illa subtilis materiæ compressio, quæ lucem parit, fieri debet sine ullo motu ex mente Cartesi; lux enim in ejus sententia nec est motus, nec in motu, sed tantum præparatio ad motum; sed ita non ptoest effici, in hoc enim liquida a solidis distinguuntur, quod solida sine motu possint comprimi, sic lapis terræ infixus comprimi potest absque loci mutatione: at vero liquida compressionem non admittunt absque motu ut manifestum fit in aqua, aere et in omnibus humoribus: sed ex Cartesii sententia materia subtilis est liquidissima, ac subinde comprimi nequit sine motu; igitur ille Philosophus pugnantia loquitur.
Deinde, si lucis diffusio fieret per compressas a Sole materiæ subtilioris particulas, sequeretur nullam unquam fieri posse Solis eclipsim, quantumvis inter eum et terram Luna interponeretur. Enim vero Sol videri potest ex Cartesii doctrina, quoties oculus comprimitur a globulis materiæ subtilis a Sole agitatis; sed ista fierent non obstante interpositione Lunæ; partes enim subtilis materiæ Solem ambiente s ab eo pressæ et agitatæ alias particulas successive comprimerent, non solum in linea recta, sed etiam in linea curva; unde fieret ut particulæ circa latera corporis lunaris compressæ, eas quæ ad oculos nostros tendunt, etiam premerent; et sic non obstante interpositione Lunæ Sol posset ab oculo nostro percipi, cujus contrarium manifeste experientia testatur.
Insuper, quod continuo circa centrum terræ movetur, suaque velocitate a terra ad Solem tendit, non potest continuo a Sole in terram rejici et impelli: motus enim illi sursum et deorsum cum sint contrarii, sequeretur particulas illas subtilis materiæ esse continuo sub oppositis motibus, ac subinde motui violento perpetuo subjacere; necessum enim est alteruter eorum motuum sit ipsis particulis contra earum naturalem inclinationem.
Præterea, venire non potest in mentem tantam esse Solis circa suum axem motus et revolutionis agitationem, ut ad longissime distantia spatia possit particulas subtilioris illius materiæ spatia possit particulas subtiliors illius materiæ impellere et comprimere: tametsi enim ignis e tormento bellico erumpens, aeris partes sibi vicinas moveat, et agitet vehementissime, nihilominus impetus ille protendi non potest ad duas leucas: quis igitur nduci poterit ut cread Sols motum circa proprium centrum tanta violentia impellere subtilem materiam, ut ipsa ad innumera milliaria recta linea protendatur? *Accedit*, quod motus Solis circa suum axem sit circularis: porro motus circularis etiam circulariter impellit, et movet partes sibi viciniores; nam rota velocssime agitata non rectum, sed circularem motum partibus aeris circumambientibus communicat: Qui igitur fieri poterit, ut Sol circulariter motus, moveat aliquas particulas subtilioris materiæ in linea recta ad oculum usque, aliis

partibus crcumjacentibus immotis? Quis persuasum haberi poterit ignem candelæ accensæ partes istius materiæ tanta virtute et vehementia posse comprimere, ut illas ad sex leucas, ad quas lumen istius candelæ protendi potest, agitari possit et impellere? Maxime cum partes illæ materiæ sint liquidæ ex sententia Cartesii: liquida autem facile cedant impulsioni, nec longius, ut solida corpora impelli valeant.
Insuper, si lumen sit aliud, quam materiæ subtilis per lineam rectam compressio qua | ratione fieri potest reflexio luminis in corporibus opacis et ejusdem in diaphanis penetratio? Quod enim in aliud corpus impingit, per alterius compressionem resilire non potest, ut videre est in pila, quæ dum impellitur in solidum, nullo alio ipsam premente corpore, continuo relisit: si vero adsit aliud comprimens eamque retinens non potest ullatenus resilire. Itaque si lumen fiat per continuam partium materiæ sibi invicem succedentium, et se continuo prementium impulsum, nunquam poterunt reflecti; sicque nulla erit luminis refractio, cujus contrarium assidua experientia testatur: neque etiam apparet qualiter fieret luminis penetratio per corpus diaphanum; nam ut corpus illud per lumen magis radiatum fieret; necessum esset ut innumeris poris, iisque rectis foret præditum, quatenus per illos subtilis hujus materiæ particulæ ad oculos nostros permearent: sed infinita illa pororum rectorum in corporibus diaphanis multitudo gratis et sine ullo fundamento fingitur: pori enim corporum ex una parte recti, ex alia sunt obliqui. *Accedit*, quod nulla hujusmodi tot pororum in vitro causa appareat: nam quod Cartesius affirmat subtilem materiam eorum fuisse artificem, dum vitrum adhuc igne liquesceret, inane commentum est. Cur enim subtilis materia in liquescentibus, et resolutis per ignem metalls simles poros rectos non sibi paravit? Cur tales in mercurio et cera liquida, in lacte et aliis hujusmodi, quæ par facilitate pervadit et penetrat, ac ipsum vitrum liquescens non efformavit?
Tandem, si objecta videantur per materiæ subtilis compressionem in oculos nostros reflexam; cum objecta simul ex oppositis partibus videantur, ad dexteram scilicet et ad sinistram, alia sursum, alia deorsum; consequens erit materiam subtilem in medio interceptam mille impulsus contrarios excipere posse: ab objectis enim ad Orientem positis pellitur versus Occidentem; ab objectis vero ad Occidentem positis versus Orientem: sed impossibile est, ut aliquid comprimatur et impellatur simul versus Orientem et Occidentem, sursum et deorsum, ergo nec visio nec lumen oritur ex compressione materiæ.

Tom. III, *Tertia Pars Physicæ*, *De Speciebus Corporis Naturalis,* disp. I, *De Corpore simplici*, sect. II, *De Corpore Elementari*, § V, *De Elementis Cartesianis*, p. 65a-66b

Præter principia mechanica, ex quibus omnia constare existimat Cartesius cum Democrito et Epicuro, materiam scilicet, motum, figuram et alia, e cerebello suo eruit et adjecit elementa, ex quibus cuncta corpora componi affirmat: hæc autem tria esse fingit.
Primum docet esse materiam quamdam subtilissimam, instar pulveris, partibus minutissimis constantem, pernicissime agitatam, fluidam, nullius figuræ tenacem, sed solidiorum corporum figuras facile induentem, et per poros eorum permeantem, quod elementum in Sole, stellis, igne, et lucidis corporibus confertim inveniri putat.
Secundum, constituit in minutissimis globulis, qui nedum isntar primi elementi liberos corporum meatus implent; sed etiam ætheris et cœli purissimam substantiam efformant.
Tertium, ex materia crassiori, et particulis rudibus atque ramosis compingitur; et illo terram, aquam, et aerem constare arbitratur. Qualiter autem ex una eademque materiæ massa, diversa illa elementa prodierint, ut explicet Cartesius, novum universi systema excogitavit, quod licet falsum esse, et contrarium sacræ Scripturæ fateatur, ad explcanda tamen præcipua mundi phœnomena, et ad intelligendam mundi creationem necessarium esse, imo revera possibile contendit.
Fingit itaque communem rerum omnium materiam homogeneam, et unius modi a Deo creatam fuisse, moxque divisam in partes æquales et quadratas, absque ulla tamen interceptione vacui. Deinde, partes illas motu validissimo fuisse agitatas, sive circa mundi, sive circa proprium centrum; verum cum ratione figuræ quadratæ et contiguitatis, integre moveri non possent, excisi sunt in medo cujuslibet particulæ globuli, qui duplici illa gyratione, scilicet circa centrum suum, et circa centrum mundi, atterentes angulos, e quibus abscissi sunt, ex suo cum illis collisu minutissimum pulverem fecerunt, qui vacua ex illo motu occurrentia, continuo implevit. Cum autem motus ille partium materiæ plures obices et impedimenta plurima offenderet, irregularis et pene indeterminatus fuit donec in plures vortices declinavit: globuli vero cujuslibet vorticis motu suo circulari circa centrum illius recedere ab eo enitentes, pulverem ex attritis partibus decisum ad medium impellunt; ut ipsis utpote solidioribus circumferentiam cedat. Hic autem cum sit per se lucidus, solem aut stellam constituit: hoc est, primum elementum Cartesii, globuli secundum, anguli penitus comminuti tertium efficiunt.

Verum systema illud ludicrum, non solum sine fundamento aut ratione ulla proponitur, sed etiam manifeste injuriosum Deo, Philosophis inutile, et in hypothesibus suis impossibile illud deprehenditur. *Primo* namque Divinæ Sapientiæ in constituenda, et ordnanda mundi fabrica quantum detrahat, nemo tantillum cordatus est, qui non videat: si enim ex materia partes æquales divisa, et certa quadam motus quantitate instructa potuerit mundus prodre, qualis conspicitur; si tanta specierum diversitas, tam stupendus concordiæ atque discordiæ in bonum universi concentus et conspiratio, pulchritudo, subordinatio, conservatio absque alicujus intelligentiæ sagacissimæ consilio, atque oculatissimæ providentiæ præsidio extare potuerunt; non est sane cur Dei sapientiam in mundi opificio tantopere demiremur; cujus structuram nusquam satis stupendam tantopere deprimit novus ille Philosophus, ut formam mundi similem vel potuisse homuncionem excogitare non dubitet. Imo si quæ sit illi fides, potuisset ipse, potuisset et quilibet alius absque multa solertia, ex data sibi matera cum certa quantitate motus alterum mundum huic similem condere; prout Archimedes gloriabatur se emoturum suo loco totam hanc orbis machinam, si punctum consequeretur, in quo figeret pedem: sic induxit sibi in mentem Cartesius se Solem et stellas producere, lumenque ac motum quæ in eis observamus, dare posset, componendo varios pulveris turbines, et omnia alia corpora a seipsis qualia modo sunt, produci potuisse.

Hinc patet quam apertam atheismo viam strnat illa nova doctrina, ordinatissimam enim rerum omnium compagem, et spectabilem omnium mundi partium constitutionem in motum temerarium materiæ, atque | emergentes varios inde vortices refundendo, validissimum existentiæ Dei argumentum, quod ex providentia atque sapientia hujusce mundi Artificis desumitur, elevat et evertit: probat quidem alibi Dei existentiam Cartesius, sed argumento metaphysico inefficaci, ac insciorum genio parum accommodato. Hic pariter supponit Dei existentiam, et alte de potentia ejus sentire profitetur; sed revera eis plurimum detrahit dum innumeras creaturarum species, cœlos, astra elementa, animalia sine ulla ipsius divinæ sapientiæ et omnipotentiæ opera prodire potuisse docet; utpote quæ e chao excludi seipsis potuerunt. Imo si bene perpendantur, quæ ex hoc et aliis principiis necessario consequuntur detestanda dogmata; videre erit præcipuam istius Philosophiæ Pseudoreformatoris doctrinæ partem in unum conspirare, ut Dei sapientiam, potentiam, ac pronde existentiam evertat; dum enim asserit materiam ab idea spatii nullatenus esse distinctam; ibi semper fuisse materiam existentem, ubi concipitur spatium; Deum annihilare non posse aliquod corpus alio non producto, quia esset vacuum, et non esset, cum superesset spatium, quod habet veram rationem corporis; spatia extra cœlos eo ipso realia esse, quo sunt imaginaria, et per modum extensionis concipiuntur: mundum ita immensum esse, ut nequidem limitibus a Deo claudi potuerit, quia extra quoscunque limites possibiles, spatia adhuc interminata concipit intellectus; quo tendunt hæc nefaria dogmata, nisi ad evertendam Dei potentiam, quam in hocce mundi systemate illæsam servare proponitur? Quid inquam, nisi materiæ necessitatem, æternitatem, independentiam adstruit? Hinc patet quantum Cartesius sin minus ex animo, quod scrutator cordium Deus adjudicavit, saltem ex doctrina sua Atheis faveat.

Ista de creatione et constitutione mundi hypothesis eo magis nunc temporis debet esse suspecta, quod plerique Cartesii discipuli ex intempestivo furore longius adhuc promovendi Cartesianismi, nitantur illam veram demonstrare, eamque cum libris Moysis conciliare, novaque in caput 1. Geneseos moliri commentaria, sive ut expressius loquar, Moysem ipsum obtorto collo trahere in scholam Cartesii, ut ab ipso discat, quomodo primam rerum originem secundum veritatem describere debuerat. Caveant itaque Fideles ne tam odiosis periculosis novitatibus irretiantur in Fidei et salutis æternæ jacturam.

Deinde, quid accedere potest utilitatis Philosopho ex systemate falso, apertisque repugnantiis, maximisque difficultatibus implicato? Numquid ex errore veritas, lux ex tenebris, ex confusione constantissimus ordo, ex chao tandem mundus per se erui potest? sed hoc etiam prætermisso. 1. Quomodo materia cum esset uniformis, et continua dividi potuit citra ullum inane, cum nondum præsto esset materia subtilis, quæ tales fissuras impleret? 2. Quomodo globi ex angulis præcisi intra ipsos circa proprium centrum gyrantes, angulique ipsi quanto primum contusi sunt, non reliquerunt vacuum, cum nondum essent decisa ex attritu angulorum et globulorum ramenta quæ vacua spatia occuparent? 3. Si globuli angulique per motum continuum a primo rerum exorsio ad hæc usque tempora in pulverem primi elementi comminuti fuissent, jam ex aliis duobus elementis nihil superesset; cœlumque, aer et terra in Solem et stellas jam dudum essent conversa.

Rectius saperent Cartesiani, si materiam subtilem adstruerent, non quomodo eam in supra allato systemate explicat Cartesius, sed prout Plato, Aristoteles et veteres fere omnes admisere; nimirum substantiam quandam aere subtiliorem, quam ignis rarioris, et per aerem præsertim diffusi nomine donarunt, cujus virtute et agitatone omns generatio atque corruptio juxta naturæ leges perfici putant. Illud autem purum et igneum corpus censent a Sole aliisque sideribus jugiter produci et reparari: dum succi, quos terra hieme fovet, a calore Solis et subtili ista materie exagitati, in seminibus aut plantis meatus sibi aptatos offendunt, hos quidem subeunt poros: ubi vero aut nimius calor patentioress meatus, aut nimium frigus angustiores efficit, tum succi exhalantur, vel subire nequeunt, sicque plantas emori aut vegetari contingit, præsertim ex motu a subtilibus corporibus

profecto, et certis legibus progrediente. Plerique naturæ effectus, experimenta quam plurima, quorum aliqua supra attulimus, per hanc subtilem substantiam commode satis possent explicari: et sane verisimilius est ignem per æthera dispersum esse, quam in concavo Lunæ reclusum.

Tom. III, *Tertia Pars Physicæ*, *De Speciebus Corporis Naturalis,* disp. I, *De Corpore simplici*, sect. II, *De Corpore Elementari*, § XI, *Confirmatur proposita Peripateticorum sententia de calore contra modernos Philosophos*, p. 73ab

Tanta est nonnullorum recentiorum Philosophorum aliquid præter mentem et doctrinam veterum sapiendi prurigo, ut nefas duxerim in aliquibus cum eis consentire, plerumque ea de causa ab omni prorsus ratione et sensu extorres, quod utique potissimum apparet in ea, quam haberent de qualitatibus sensibilibus existimationem; eas enim cum sensationibus ipsis, sensationes vero cum dolore et gaudio confundunt. Hinc nulla subjecta per se et ex se calida aut lucida admittunt, contendentes calorem et lumen nihil esse præter sensuum actus et operationes aut passiones, quibus eas qualitates percipere et sentire dicimur. Has autem passiones asserunt nihil aliud esse, quam gaudium aut dolorem, quos affectus ex diversis objectis anima percipit. Unde ex eorum mente sequitur earum qualitatum ideam haberi non posse absque affectu doloris aut gaudii. Nec ignem, v. g. ex se calidum esse, sed duntaxat talem censeri cum activitatem suam in subjecta doloris aut gaudii capacia exerit. Ex quo sequitur ferrum aut aquam, aliaque insensibilia nullum unquam calorem ab igne etiam vehementissimo excipere posse utpote cum sint omnis gaudii ac doloris incapacia. Quæ utique Cartesianorum sententiam, quam ab ipso omnium hominum communi sensu atque ratione abhorreat nemo est tantillum cordatus qui non videat.
Quod vero speciatim calorem attinet, putat Cartesius eum nihil aliud esse in corporibus, quæ abusive dicuntur calida, quam motum celerem atque perturbatum partium insensibilium. *Verum* quam absurda sit hæc existimatio, atque ipsis etiam Cartesii principiis contraria, *Probatur* 1. Dura ex mente Cartesii sunt ea corpora, quorum partes in imperturbata quiete consistunt, liquida vero, quorum partes sunt in continuo motu: quæ si vera sint, sequeretur ex ipsius de calore sententia, dura corpora nusquam posse calefieri, liquida vero semper fervescere, cujus contrarium manifesta experientia docet: dura namque corpora facilius et intensius calorem excipiunt, liquidiora vero minus adurunt, magisque calori recipiendo obsistunt: quin etiam lutum ac lateres calore ipso magis ac magis indurescunt. Igitur calor non consistit in motu partium insensibilium; quippe cum durities, quam in quiete partium reponit Cartesius, non sit contraria calori, opponatur autem motui ex ipsius Cartesii principiis.
Deinde. Corpora, quorum partes sunt in motu celeri et circulari, intumescunt et dilatantur ex ejusdem Cartesii sententia: cum enim ex illius mente corpora habeant partes diversæ figuræ, alias angulares, ramosas alias, alias acutas etc. fieri non potest, ut omnes illæ partes, perturbato præsertim motu circulari, agitentur, nisi recedant ab invicem, et sese modo per unum angulum, modo per alium offendentes amplius, quam antea, spatium occupent; ac subinde si calor consistat in illo celeri partium motu, necessum erit, ut corpora quæ calefiunt, majorem quam antea locum occupent: quod utique falsissimum esse in lapidibus et metallis calefactis ipsa experientia testatur. Quin etiam plura sunt corpora, quæ per calorem constringuntur, et minus spatium occupant, ut constat de glacie, ipso etiam fatente Cartesio, *art.* 2. *c*. 6. *Meteor*.
Denique. In hoc ipsum Cartesianum figmentum plurimæ pugnant experientiæ, quæ cum hoc eorum principio nullatenus possunt cohærere; nam si calor ex motu proveniat, quomodo id quod caret motu ac frigidum est, excitare potest calorem? Nihilominus, aqua frigida in calcem injecta in ea calorem excitat, similiter vinum, piper, aliaque similia, quæ frigida sunt, nihilominus calorem procreant. Quod autem reponunt, idcirco calcem ab aqua fervescere, quod aqua injecta penetret poros ipsius calcis, quo fit ut ex materia subtili circumfusa motus excitetur, et inde calor, prorsus absurdum est: quæro namque cur idem in gypso aut figulina terra non contingeret? Cum pariter poros habeant satis amplos ad excipiendam aquam et subtilem illam circumfusam materiam. *Deinde*. Aliqui liquores, ut oleum vitrioli et tartari separati, frigidi sunt, conjuncti vero fervescunt, non certe a circumfusæ subtilis materiæ motu, ut quid enim separati eum itidem motum non suscipiunt?
Ad frigus quod attinet, volunt Cartesiani illud esse meram caloris privationem. Verum si ita esset, nulla foret frigoris cum calore pugna, sicut nulla est lumnis cum tenebris. *Porro* contrarium apparet ex quotidiana experientia. *Deinde,* si corpora frigida haberent solam privationem caloris, non appareret cur loca subterranea, putei etc. tantum frigus servarent æstate, dum aer effervescit, nec cur calor qui eisdem in partibus dominatur hieme viciniores aeris partes non occuparet? mitto cætera inania Cartesianorum ea de re figmenta.

Tom. III, *Tertia Pars Physicæ*, *De Speciebus Corporis Naturalis,* disp. III, *De Corpore animato*, sect. III, *De Anima sensitiva*, art. I, *De sensu in communi*, § I, *An detur Anima sensitiva atque cognoscitiva brutis*, p. 141a-144a

Negant Cartesiani, qui cum existiment corpus nihil aliud esse, quam *substantiam formaliter extensam*, sive ipsammet, quam percipimus, extensionem; animam vero *substantiam cogitantem*, sive cogitationem ipsam, ind colligunt, nec cogitationem cum extensione, nec extensionem cum cogitatione in eodem principio posse cohærere. Hinc inferunt, in brutis rationis ac proinde cogitationis expertibus, nullam esse animam; subindeque nec ullum sensum, ac veram sensationem in eis vigere; sed eas esse meras mechanicas, quæ ex sola organorum dispositione, et artificiosa partium structura, instar horologii moventur. Quam vero chimærica et inanis sit hæc sententia, jam ex parte demonstravimus, probando corpus naturale veram esse substantiam, atque materia et forma substantiali, non autem sola extensione, aut accidentium congerie constare. Alterum istius opinionis ludricum et imbelle fundamentum convellemus in sectione sequenti agendo de essentia animæ rationalis. Jam vero demonstrandum est bruta animantia revera donari anima sensitiva ab eorum corpore omnino distincta.
Dico igitur, in brutis animantibus existere animam sensibus, cognitione, et affectibus corporis pollentem.
Probatur 1. ex Scriptura Sacra, quæ variis in locis vitam, sensum, et cognitionem belluis tribuit: *Vitam*, quidem, nam Genes. 1. v. 24. *Dixit quoque Deus, producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia et bestias terræ.* Et ver. 20. sub eadem voce, *animæ viventis*, homines et belluas simul exprimit. *Et universis quæ moventur in terra, et in quibus est anima vivens.* Et cap. 7. vers. 22. describendo universalem aquarum illuvionem, qua homines, octo demptis, una cum belluis perierunt, his verbis explicat, *universi homines, et cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt,* quibus vita et mors de hominibus et brutis ex æquo enunciantur: igitur ex verbo Dei tam bruta, quam homines vita donantur.
Sensum quoque Scriptura eis attribuit, cum pronuntiat belluas esurire, Psalm. 34. vers. 11. *Sitire*, Psalm. 42. vers. 2. *Coitum expetere*, Jeremiæ 5. Vers. 8. Et alias plures passiones et affectiones sensuum eis tribuit.
Reponit Vvittichius, *lib. de consensu veritatis*, in Scriptura divina cum veritate philosophica, cap. 37. Cartesianos vitam et sensum non negare in bestiis, sed cognitionem.
Verum Cartesius ipse hoc effugium præcludit, affirmando præter sanguinem, certamque partium dispositionem, nullam animam sensitivam, nullam viam, nullos sensus, nullamque perceptionem in belluis reperiri. Sic enim scribit *Resp. 4. pag.* 126. *Unde concludere cogimur, nullum plane in ipsis* brutis, *principium motus a nobis agnosci, præter solam dispositionem organorum, et continuum affluxum spirituum, qui a calore cordis sanguinem attenuantis producuntur.* Quamobrem etiam receptam sententiam de sensu brutorum, velut præjudicium infantiæ rejicit. Item de Meth. p. 43. *Monitos,* inquit, *eos volo, motum hunc, quem modo explicavi,* scilicet animalem, homini cum brutis communem *adeo necessario sequi ex sola organorum dispositione, quam suis in corde oculis intueri possunt, et ex calore, qui digitis percipitur, naturaque sanguinis, quæ experientia cognoscitur*; *atque horologii motus, ex vi situ et figura ponderum, et rotarum quibus constat.* Quæ verba sic ponderat et exaggerat *Antonius le Grand* in particulari dissertatione, quam de *Carentia sensus et cognitionis in brutis* inscripsit §. 11. *Illustrissimus,* inquit, *Cartesius... existimat belluarum animam aliud non esse, quam sanguinem; nec opus esse sensitivam animam in auxilium advocare, qua illarum operationes perficiantur, et ex qua movendi, sentiendique facultas proveniat. Nam cum videret vir solertissimus sanguinem corpus esse fluidum, subtilioremque ejus portonem ab arteriis in cerebrum, et per illud in nervos et musculos continuo circuitu deferri, asserere haud dubitavit per sanguinem in corde calefactum, et in spiritum attenuatum, et a solo ejus motu | varios illorum motus proficisci.* Ex quibus constat revera Cartesianos sensum et vitam belluis adimere contra manifestos Scripturæ textus, utrumque eis attribuentes.
Quod vero earum cognitionem et notitiam spectat, idem pariter ex Scriptura colligitur. Hæc enim in eis affirmat eam operationem, quæ absque perceptione et notitia consistere nequeat; puta, cum ait Genes. 3. *Serpentem fuisse callidiorem cunctis animantibus*; quod profecto parum vere fieret, si nullum brutorum ulla polleret perceptone: gradus enim comparativus *callidior* positivum præsupponit. Similiter talem ipsis Scriptura vim percipiendi tribuit, qua tempora, locos et alia possunt discriminare: sic Isaiæ primo, *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui*. Sic Jeremiæ 8. v. 7. *Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui.* Hinc Sanctus Judas in Epist. v. 10. de impiis hominibus, et corporeis voluptatibus deditis sermonem faciens, ait: *Hi autem quæcumque ignorant, blasphemant; quæcumque autem naturaliter, ut muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Itaque ex Scriptura Sacra liquet vitam, sensum et perceptionem, seu cognitionem sensitivam belluis æque ac hominibus tribui.
[...]
His accedit, quod si in brutis perinde ac hominibus omnes illæ operationes non resultent ab aliqua anima sensitiva, sed a sola partium certa dispositione, quæro quibus argumentis poterimus suadere in his qui nullas,

nisi tales produnt operationes sensitivas, quemadmodum fit ab instantibus nuper | natis, a phreneticis, apoplecticis, dormientibus etc. aliquam esse animam? Imo addit *Petrus Vam Mastricht* in Gangræna Cartesiana cap. 3. cum sola *cogitatione* homines a brutis discernantur, et *cogitatio* Cartesianis nihil aliud sit, quam sibi ejus esse *conscium*, quod *intra se* agitur; quomodo de quovis homine cumprimis tali quem jam exhibuimus, certo scire possis cum sibi suarum actionum esse vere *conscium*; proinde certo *cogitare*, et hinc certo a brutis *differre*: Si hoc scire non possis ex iis operationibus, quæ sensibus aliorum sunt expositæ, quales *sensitivæ* illæ? Si regeras saltem ex ejus *ratiocinatione*, tum occurram, 1. quid si non *ratiocinetur*? 2. Quid scies eum sibi suæ istus *ratiocnationis* magis *conscium* esse, quam *bruta*; cum non minus bruti operationes a *sensibus* suis principiantur, quam *hominis* illæ? E quibus porro, non tantum discrimen hominis et bruti in discrimen adduceretur, sed insuper *animæ ullius necessitas* sugillabitur ad minimum. Hæc ille.
Objiciunt Cartesiani, omnes belluarum operationes elici et explicari posse per solam mechanicam, et artificiosam organorum dispositionem, et motus plane corporeos, absque ullo eorum motuum interno vivente principio; potuit enim Deus machinam fabricare tanto artificio, ut eos omnes motus exereret: igitur id ita factum esse colligendum est. *Antec.* ut indubitatum principium, supponunt: Enim vero inquiunt, tanta est quorumdam artificum dexteritas, ut machinas quasdam conficere possint, quæ nullo externo impellente et dirigente, instar animalium ambulare, discurrere, imo etiam voces humanis similes edere valeant, ex mechanica partium dispositione. Talis fuit celebris illa *Musca ferrea,* per Carolum a Monte Regio fabricata, et oblata Carolo V. Imperatori, quæ cum per aulam volatu gyrasset, in ipsius imperatoris manus descendit et quievit. Talis illa tantopere decantata artificialis *Aquila,* quæ supra caput Imperatoris, qui ad inaugurationem suam pergebat, ad duas leucas Germanicas volavt. Talis illa famosa *Humana Statua*, quæ Regi Barbarico libellum supplicem obtulit, pro consequenda libertate sui artificis in captivitate gementis. Talis pariter *Statua Ægyptiaca,* quæ Orientem Solem salutabat, et humanis ac melodicis cantibus adstantes demulcebat. Tales denique sunt illæ machinæ aquilam, testudinem, aliaque animalia repræsentantes in musæo clarissimi Domini de *Servieres* Lugdunensis, quæ nullo impellente, varias in partes moventur. Itaque multo magis ea machinæ confectio, quæ varios edat motus corporeos, divinæ potentiæ et sapientiæ non est deneganda.
[...] | [...]
Enim vero si res ex æquo, et sine ullo præjudicio perpendatur, quis potius non suspicabitur aliam in belluis inesse rationis participationem et umbram; qui felium in capiendis muribus calliditatem, vulpium artes, simiarum genium, apum rempublicam, formicarum in parandis et conservandis alimentis industriam, castorum in extruendis et ordinandis suis receptaculis solertiam perspexerit tantam, ut vix majorem in hominibus liceat advertere? Convenientius itaque ista omnia in animam sensitivam, quæ media consistens inter vegetantem, et rationalem aliquid ex utraque participat, quam in solam mechanicam ordinationem partium refundere licet. Cætera quæ objiciunt Cartesiani jam ex parte explosa sunt, et ampius refutabuntur in sequentibus.

Tom. III, *Tertia Pars Physicæ*, *De Speciebus Corporis Naturalis,* disp. III, *De Corpore animato*, sect. IV, *De Anima Humana*, § I, *Quid sit Anima*, p. 169b-171a

Ex Latinis rectius de animæ humanæ natura sensit Seneca, eam definiens *spiritualem* | *intellectum ad beatitudinem in se et in corpore ordinatum*. Cassiodorus vero *substantiam spiritualem a Deo creatam, proprii corporis vivificatricem*, quæ sententiæ apertius ex dicendis constabunt. Quoniam vero hac in re potissimum insaniunt *Cartesiani*, asserentes totam animæ rationalis essentiam in sola cogitatione, sicut et corporis naturam in sola extensione actuali consistere, operæ pretium est eorum erroneum et absurdum dogma expendere et refellere.
Quamobrem dico, *animæ rationalis essentiam in sola cogitatione non esse reponendam.*
Probatur 1. Essentia penitus est inseparabilis a te, cujus est essentia, et ita intime identificantur invicem, ut una absque altera nec esse nec concipi possit: at cogitatio non semper adest animæ, neque enim ullo argumento suaderi potest in profundo somno, in gravi animi deliquio, aut embryone recens animato, aut homine apoplexia laborante esse cogitationem; maxime ex Cartesianorum principiis, quippe cum doceant, quod cogitare, non sit, nisi *conscium sibi esse ejus quod intra se agitur*; dicente Cartesio, principio primo, paragrapho nono; *Cogitationis nomine intelligo illa omnia, quæ nobis consciis fiunt, quatenus eorum in nobis est conscientia.* Item responsione ad secundam objectionem definitionis primæ: *Cogitationis nomine*, inquit, *complector id omne, quod sic in nobis est, ut ejus immediate conscii simus*: Sed aperte falsum est embryonem, apoplecticum, et gravi somno deditum alicujus cogitationis conscios esse. Qui enim fieri posset, ut hujus cogitationis non recordarentur, dum suæ libertatis et rationis sunt compotes? constat igitur animam plerumque remanere in

corpore sine ulla prorsus cogitatione; ac subinde animæ rationalis essentia in sola cogitatione non est constituenda.

Deinde, si animæ natura non esset, nisi cogitatio, inde fieret consequens, quod quoties nova suboritur nobis cogitatio priori evanescente, toties periret anima, et alia succederet: atque adeo frustra Salvator adorandus *Matt.* 16. tantopere exaggeravit animæ jacturam, si singulis momentis novæ nobis oboriantur animæ. *Insuper* cum Jobus *cap.* 16. ait; *Cogitationes meæ dissipatæ sunt;* et Proverbiorum, 6. *Cor machinans cogitationes pessimas,* etc. sensus erit animas esse dissipatas, et cor pessimas animas machinari.

Respondent Cartesiani, totum istud argumentum procedere ex ambiguitate vocis cogitationem ac ludere in æquivoco; siquidem Cartesius principio primo, paragrapho 63. et 64. *Cogitatio et extensio,* inquit, *spectari possunt, ut constituentes naturas substantiæ intelligentis, et corporeæ; tuncque aliter non concipi debet, quam ipsa substantia cogitans, et non extensa, hoc est, quam mens et corpus*: unde infert cogitationem et extensionem etiam sumi posse pro modis substantiæ, quatenus una eademque mens varias habere potest cogitationes, et idem corpus varias extensiones. Hinc concludit *Epistol. 5. Sic igitur quamvis cogitatio hæc, illa et ista evanescant, manet tamen cogitatio etc.*

Contra. Per subsistentem illa cogitationem Cartesiani intelligunt vel ipsam animæ substantiam, ejusque vim intellectivam, quæ possit varias profundere cogitationes, dum est sui compos, tametsi nullas actu cogitationes eliciat; vel ipsam actualem animæ operatonem et cogitationem. Si primum, nil ingerunt novi, nisi quod pessime abutantur voce cogitationis usurpantes facultatem, et entitatem animæ pro ipsius operatione et actu: conveniunt enim omnes Philosophi animæ substantiam et facultates invariatas subsistere sub variis et diversis operationibus. Si secundum recurrit eadem argumenti vis nimirum variari animas humanas dum variæ fiunt cogitationes. Deinde, si hac, et illa cogitatione evanescente, subsisteret semper in anima cogitatio, sequeretur unam eandemque cogitatio, sequeretur unam eandemque cogitationem esse plures et diversas cogitationes quod utique ridiculum est. Sequeretur pariter unam eandemque animam plures formare posse animas; sequeretur pariter in nobis esse cogitationem aliquam indefinitam, quæ essentiam animæ constitueret. Cum vero genera et species non existant, nisi in individuis, necessum esset quod illa indefinita cogitatio tantum existeret in singularibus cogitationibus, et ad illarum mutationem etiam ipsa mutaretur, quemadmodum ad mortem alicujus hominis perit in eo existens natura humana. *Insuper,* illa cogitatio indefinita cum non tenderet ad aliquod objectum determinatum, esset cogitatio nihil cogitans, et intellectio nihil intelligens. *Prœterea*, si animæ natura consistat in indefinita cogitatione, ipsa pariter erit indefinita, quæ continuo determinabitur, dum determinatur cogitatio per objectum, ac subinde quando cogitatio determinatur ad asinum, verbi gratia tunc etiam necessum erit, ut animæ essentia tota sit ad asinum determinata; quam consequentiam si admiserint Cartesiani, ut admittere urgentur ex ipsis principiis, valeant | ipsi, per me licet, cum asinino suo dogmate.

Objiciunt 1. Anima perspectam et claram debet habere sui ideam: at nihil clarius in seipsa percipit quam quod cogitet: ergo tota illius essentia in sola cogitatione est constituenda.

Resp. 1. negari posse majorem; Nam, ut diximus initio, anima non minus cæcutit, immo magis in propria sua, quam in aliarum rerum essentia detegenda.

Resp. 2. *neg. Min.* Licet enim per actum refluxum distincte cognoscam me cogitare, non tamen distincte deprehendo quid sit, et quomodo formetur mea cogitatio. *Accedit,* quod non minus clare cognoscam animam esse principium omnium motuum, qui a me et in me fiunt, quam cognosco me cogitare, ac subinde non minus animæ essentia in principio motus, quam in cogitatione esset constituenda. *Deinde*, falsum est quod quidquid aliquis distincte et clare percipere se putat, revera tale sit quale percipitur; cum enim unusquisque abundet in suo sensu, fit sæpe ut res aliter quam snt, aliquis tamen distincte percipere se putet.

Objiciunt 2. In eo constituenda est animæ essentia per quod primo a corpore distinguitur: at per cogitationem primo, et maxime anima distinguitur a corpore et ab extensione quæ corpori propria est: igitur etc.

Resp.; Nego min. *Tum,* quia inde sequeretur animam rationalem non distingui ab Angelis, qui etiam a corpore discrepant, et omnis extensionis corporeæ sunt expertes, atque cogitationis, sicut anima, sunt capaces. *Tum,* quia cogitatio actualis est accidentalis, et abesse potest ab anima. *Tum,* quia cogitatio, cum sit operatio, supponit facultatem, a qua eliciatur: ac subinde illa non potest esse animæ essentia; nam essentia nihil præsupponit in re cujus est.

Debet igitur definiri anima prius per ordinem ad corpus et ad hominem, quem nata apta est constituere, quam per ordinem ad operationes suas. Sic autem definitur communius: *Actus corporis organici physici potentia vitam rationalem habentis.* Vel, *Substantia spiritualis incompleta corpus organicum apta informare ad efficiendum animal rationale.*

Tom. III, *Tertia Pars Physicæ*, *De Speciebus Corporis Naturalis,* disp. III, *De Corpore animato*, sect. IV, *De Anima Humana*, art. 1, § III, *An sit vera forma informans*, p. 173b-174a

Platonis errorem instaurarunt nostris temporibus Cartesiani, qui ex hoc Magistri sui dogmate, quo adstruit totam animæ essentiam in sola cogitatione consistere, inferunt animam non esse diffusam in corpore, nec esse totam in toto et totam in qualibet parte, nec ullatenus informare corpus; | nec ejusdem operationes animales et vegetativas elicere, sed mere cogitare, et ut cogitatio ab omni loco abstrahere. Sic Vittichius Theol. pacif. §. 166. Ait: *Anima est quidem pars hominis, sed forma hominis est essentia hominis, id est, humanitas. Cum enim formæ informantes vulgo concipiantur, tanquam permeantes et intime penetrantes materiam; idque de anima non possit statui, quia inextensa, et indivisibilis est; idcirco formam hominis dico humanitatem,* etc. Cartesius tamen id aperte asserere non est ausus: imo *tom.* I. *ep.* 94. *Quæ,* inquit, anima, *agnoscitur sola esse forma substantialis.*